



1. De Jure rerum, et Juris in re specieby. P. Henr. Haknicj. G. f.
2. De Jure Apostolorum. P. Andr. Göckshede, R. Marder.
3. De libello in actione Hypothec. rite formando. P. J. F. Riving. G. H. Meckner.
4. De Redintegratione Arculorum P. R. J. P. N. C. Lyncker; R. D. v. G. f. f. f.
5. De tacito pignore Locatoris in rebz Conductoris illatis, occas. s. s. C. f. f.
6. Henr. Cocceji Collationes Juridicae ad Sn. G. A. Struvium.
7. De natura et interpretatione Sponsionu R. F. Ludovici R. A. L. Hammer.
8. De captatoris Institutionibz P. C. Thomafig R. H. Thomae.
9. De Jure circa actus imperfectos. P. H. Coccej. R. J. H. Meijer.
10. De Compensatione Debitoru publ. P. J. C. Harprecht, G. H. Haroc.
11. De eo quod justum E durante Justitio. P. J. H. Böhmcr. G. G. Wolde.
12. De causis ad Cameram Imperii non appellabilibz. P. J. S. Strzyck.
13. De Investitura abusive P. S. Strzyck R. J. F. G. f. f. f.
14. De incerta Ambiguoza decisione. P. S. Strzyck. P. J. S. Hantschel.
15. De causa incidente. P. S. Strzyck. R. J. Knorre.
16. D. Luderi Menckeni Napaleonomena Juris admiricula per
Indicem proposita.
17. De jure precum publicaru. P. J. H. Böhmcr. R. Frid à Saltern.
18. De Divortio propter infidias vitae Arctas. P. S. Strzyck
R. E. P. Memmingerg.
19. De eo quod justum est circum publ. P. J. H. Böhmcr. R. G. G. G. G.
20. De Sponsalibz de furtio et de praesenti. P. Ideo. J. S. Frofe.
21. De origine ac progressu Processu Inquisitorii contra Sagas.
P. C. Thomafius R. J. P. P. P.
22. De Concubinato. C. Thomafig.
23. De Matrimonio illustri ex ratione status. P. J. C. Nöfser.
R. J. M. Auerbach.
24. Absolutio a jramento. R. J. H. Pott. R. J. G. de Werdeck.
25. Absolutio observantiae Canonicae. G. H. G. f. f. f.
26. De Digamiae praescriptione. P. C. Thomafig R. G. G. G.
27. De privatis Legatoru sacris. P. J. H. Böhmcr. G. G. Heining.

20.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE INCONGRVA PRAXI
DOCTRINAE,
DE

SPONSALIBVS
DE FVTVRO ET DE
PRAESENTI

IN FORIS PROTESTANTIVM,
QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE MARCHIONE BRANDENB.
&c. &c

IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. IVSTO HENNING. BÖHNERO,
D. PROFESS. IVR. ORDINARIO.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI

D. *SEPT. M. DCCXII.*

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PVBLYCO EXAMINI SVBMITTIT,

IOHANNES GODOFREDVS GROTE,
HAMM. MARC. WESTPH.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.

DE INCONGRUA PRAE
DOCTRINA

SPONSALIBVS
DE FVRORE DE

PRASSIA
IN HUIS PROSTATIVM

DA FRIDERICO WILHELMO
PRINCE BORSSAL MARCHIONE BRANIBVR

DA IVSTOHENNING BOMMERO
D. PROSS IUR. ORDINARII

TR. LICETIA
STAVOS IN FERORE IUR. HONORIS

IOHANNES GODOFRIDVS GROTE
HAB. IUR. WESTPH.

THE JOHANNES CHRISTIAN ZAHN, AUCT. TYPOG.





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS
DE
INCONGRVA PRAXI DOCTRINAE
DE
SPONSALIBVS DE FVTV-
RO ET DE PRAESENTI IN FORIS
PROTESTANTIVM

CAP. I.

De origine & fatis distinctionis
sponsaliorum de futuro & de praesenti.

§. I.



Nulla fere in toto iure canonico reperitur materia aut doctrina civilis, quæ tot falsis & erroneis conceptibus repleta & abusibus variis est exposita, quam de *Sponsalibus & matrimonio*, ut tutius esset, scita pontificum potius fugere quam sequi. Et tamen, quod mirandum est, in foris Protestantium, repudiatis licet principiis crassioribus, doctrina hæc fere primario ex iure canonico petitur, de-

Turbant casus matrimonialibus ex iuris Canonici incongrua applicatione oriuntur.

4 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

cisiones inde formantur, & publice privatimque inculcatur, ius canonicum in materia matrimoniali esse receptum. Quanta autem cum confusione applicatio huius iuris ad casus in foris nostris emergentes fieri soleat, facile quilibet æstimabit, qui animo sedulo perpendet, quam incongrue conclusiones retineamus, quæ ex principiis, a nobis reprobatis fluunt, quo ipso aliter fieri nequit, quam ut doctrina hæc in foris non recte cohæreat. Pontificiorum doctrina multo utique concinnior est, si connexionem inuenitur, cum conclusiones, quas fount, cum principiis suis accurate connectant, quæ ab ipsis pro aris & focis defenduntur. Accedit noua inconuenientia, quod de quibusdam in hac materia doctrinis nouas plane definitiones formare soleamus, & tamen in decisionibus iuris canonici subsistamus, quæ ad nostras nouas definitiones minus quadrant. Docet hoc ipsum decantata distinctio *sponsaliorum*, secundum quam alia dicuntur *de presenti* alia *de futuro*, quæ aliter in iure canonico, aliter a nostratibus definiuntur, & tamen eadem decisiones, quæ in iure canonico habentur, satis inconuenienter, nostris definitionibus applicantur.

*Distinctio-
nem inter
sponsalia de
presenti &
de futuro
Huberus iuri
civilis adscri-
bit.*

§. II. Quod ut eo rectius & clarius demonstretur, de origine huius distinctionis ante omnia videndum. Plerique originem eius ex doctrina *patrum & scholasticorum* petunt, consentque inde eam in ius canonicum per *GRATIANUM*, reliquosque pontifices translata esse, *VLTRICVS HVBERS* in alia omnia iuit, quippe qui *lib. II. Digress. c. 7. seqq.* illam iam olim apud Romanos cognitam, & ita ex doctrina *iuris Romani* in ius canonicum translata fuisse arbitratur, ostendet enim, non tantum de iure Romano sponsalia esse *futuri temporis*, sed etiam *de presenti*, cum eandem quoque de perfectione nuptiarum, quæ iuris civilis est, sententiam approbet, veluti quod matrimonium non faciat coitus, sed voluntas &

con-

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 5

consensus *c. 1. c. 27. q. 2. l. 30. de R. N. l. 15. de condit. & demonstr.* Inde concludit, consensum purum de nuptiis per verba *praesentis temporis* expressum esse de iure civili & canonico matrimonium, sponsaliaque appellari per usum popularem, eumque peperisse abusum in termino artis exprimendo, imo, prout speciatim *cap. 8. demonstrat*, reuera nihil discriminis inter sponsalia pontificia atque civilia fuisse. Addit, *conventionem* de nuptiis *praesentaneam* & illico implendam, sponsalia a Romanis quidem appellata fuisse, non tamen post sponsalia consensum alium de nuptiis esse secutum, sed sponsalia ipsius coniugii vim continuisse, imo id quod iam erat matrimonium, sponsalia appellari solitum, id quod, ait, *cap. 9. §. 1. iuris canonici auctores in ipsam artem* introducere non dubitarunt. Denique ubi sponsalia inter eos constituuntur, qui longo tempore non cupiunt aut cohabitare non possunt, ea posse stricte sponsalia dici censet, quatenus promissionem futuri matrimonii demum continent, & illa reuera esse de futuro.

§. III. Hæc si ita sunt, frustra iuris canonici doctrinam, *vt nouam, vt insulsam* reprobamus, quæ potius antiquissima esse videtur. Sed reuera noua est, & iuri Romano omnino incognita. Tota titulus de sponsalibus ostendit, vnum tantum genus sponsaliorum Romanis cognitum fuisse, a matrimonio & conceptu & effectibus prorsus distinctum. Sunt sponsalia non praesens matrimonium, sed te-
Chius contrarium tacimen ostenditur
 ste FLORENTINO in *l. 1. ff. de sponsal. mentio & repromissionis futurarum nuptiarum* h. e. indiuiduæ illius coniunctionis maris & feminae, quæ definitur *l. 1. ff. de nupt.* Conueniunt vtique in eo, quod consensu perficiantur, quorsum collimat IULIANVS in *l. 11. ff. de sponsal. sponsalia, sicut nuptia, consensu contrahentium sunt, & ideo sicut nuptiis ita sponsalibus filium familias consentire oportet; ast inde non sunt vnum idemque, quia alioquin pactum de emendo & ipsa mentio idem negotium constituerent. Vtrobique consensus.
Vnum tantum fuit genus sponsaliorum de iure Romano.*

6 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT:

*diuersum a
matrimonio*

habet diuersum obiectum: In sponsalibus interponitur de futuro, in matrimonio de presenti matrimonio, & inde quoque Julianus in *cit. l. 11. duplicem* eundemque diuersum consensum utrobique adesse docet, quod frustra negat HYBERVS. Huc collimat quoque etymologia vocis sponsaliorum, nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi VXORES FVTVRAS, vt ait ICTUS in *l. 2. ff. de sponsal.*, non presentes, & ipsa sponsalia dicuntur *spes nuptiarum* in *l. 6. ff. de sponsal.* vel *spes matrimonii* in *l. 13. §. 3. ff. ad leg. iul. de adul. ne cum HYBERO quis existimet, per nuptias ritum solennem deductionis in domum tantum intelligi, eum potius ipsum matrimonium denotent. Sic etiam variis aliis locis satis euidenter distinguuntur sponsalia & matrimonia, vt omnino falsum sit, consensum purum de nuptiis contrahendis de iure ciuili matrimonium fuisse vid. *l. 7. l. 9. l. 14. l. 15. 16. l. 17. de sponsal.* Quin potius consensus matrimonialis declarandus erat per deductionem in domum *l. 15. ff. de condit. & demonstr. l. 5. ff. de rit. nupt. l. 66. de donat. int. vir & vxor. l. 24. C. de nupt. l. 6. C. de donat. ant. nupt.* Qua deficiente, adhuc nuda sponsalia erant. Differentia quoque ratione effectuum varia fuit. Sponsa patris mei, mea nouerca nondum est, nec sponsa mea patri meo recte nurus dicitur *l. 12. §. 1. 2. ff. de R. N.* Intra annum luctus sponsalia, non matrimonium contrahere licet *l. 10. §. 1. ff. de his qui not. inf.* Vtut donatio inter coniuges non valeat, valet tamen inter sponsum & sponfam *l. 5. pr. ff. de donat. inter vir & vxor. l. 27. eod. l. 66. inf. eod.* nec cohabitandi obligatio per sponsalia contrahitur, vti per matrimonium &c. Neque obstat, quod consensus dicatur facere matrimonium in *l. 15. ff. de condit. & dem. & l. 30. de R. I.* & quod idem in iure canonico approbatum sit; nam non quermis consensus facere matrimonium, vel inde constat, quod alias emptio venditio quoque matrimonium produceret, sed ille demum matrimonium facit, qui matrimonialis est deductione in domum*

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 7

mun declaratus. Atque hic sufficit, ad matrimonium constituendum vtr nullam corporum commixtio interuenierit, qualis est sensus *cit. l. 15.* Hisce positis evidens est (I) omnia sponsalia de iure Romano *de futuro matrimonio;* de praesenti autem incognita esse; (II) sponsalia & matrimonium de iure Romano non fuisse vnum idamque negotium, quod vtrumque *HYBERVS* asseruit.

§. IV. Nouum adhuc dubium mouet Dn. *LYNCKER* Nec Lynckeri sententia recipienda, hanc distinctionem aliter Iuri Ciuili vindicant. *in anal. ad ff. tit. de sponsal. th. 10.* asserens etiam de iure ciuili sponsalia de praesenti eo ipso dari, quod dentur pura, & de futuro, quod dentur *conditionata.* Ex communi protestantium Ictorum sententia supponit, omnia sponsalia pura esse *de praesenti,* *conditionata vero de futuro.* Enimvero non hic sermo est de nouis definitionibus, ex doctrina *B. LVTHERI* huic distinctioni a protestantibus affectis; nam vbi illis insistimus, concedi omnino potest, eo sensu hanc distinctionem in iure Romano esse fundatam, quamuis nulla necessitas adsit, vt illa quae clarius pura & *conditionata* dicuntur, nouis denominationibus, eisque *incommodis, nouis & obscuris,* exprimamus. Quin potius quaestio est de origine huius distinctionis *in sensu iuris canonici,* quod diuersas plane definitiones huic distinctioni tribuit, & sponsalia de futuro tam pura quam *conditionata* admittit, vti docet *c. 2. X. de sponsal.* id quod etiam de iure ciuili certum est; at sponsalia *de praesenti* in sensu iuris canonici ignorat.

§. V. Videlicet dantur de Iure Canonico duplicia, sponsalia: propria & impropria; illa dicuntur *de futuro,* haec vero *de praesenti* & pro ipso matrimonio habentur, nec proprie dicta sponsalia sunt, vti obseruant *CORVINVS* De Iure Canonico sponsalia de futuro sunt proprie dicta sponsalia de praesenti; *in aphor. Iur. Canon. lib. II. tit. 12. §. 3. 4.* *HENRICVS CANISIVS* *ad tit. de sponsal. n. 9.* *GONZALEZ TELLEZ* *ad c. 2. X. de spons. n. 5.* *ESPENVS* *in Iur. Eccles. P. II. lib. 12. c. 1. §. 2.* Ex quo etiam concludunt, in dubio, vbi de sponsalibus mentio fit, in-

tel-

8 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

telligi sponsalia *de futuro*, eo quod in obsecris, & proprietate verborum non recedatur, *HENRICVS GANISVS cit. l. n. 9. in f.* Sic in *c. 2. X. de sponsal* simpliciter mentio fit *sponsaliorum*, & proinde interpretes hunc textum recte de *propriis h. e. de futuro* interpretantur, quod & ipsa rubrica textus docet, & decisio confirmat. Hinc statim insignis differentia inter doctrinam *iuris canonici*, & *ICIORUM protestantium* sese exferit, cum ius canonicum sponsalia *de presenti* esse *improprie talia* iudicet, ICti protestantes autem *vera & proprie dicta sponsalia* soleant de *presenti* vocare. *ICIORUM protestantium* tantum mentionem hic facio; hisce enim doctrina in foris protestantium recepta debetur, non iuri certo & communi, vti suo loco videbimus.

non vero in
foris prote-
stantium.

Sponsalia de
futuro eodem
modo desin-
untur qua
sponsalia de
iure civili.

§. VI. Proprie dicta sponsalia seu *de futuro* (h. e. matrimonio) de iure canonico eodem modo definiuntur & diuiduntur, vti de iure civili. Sic in *c. 3. C. 30. qu. 5. NICOLAVS pontifex* dicit sponsalia esse *promissa futurarum nuptiarum*, vel vt *Innocentius III. in c. 2. X. de sponsal* ait, quando desponsati *de matrimonio contrahendo sibi fidem dederunt*. Inde ad verba quoque respiciendum esse voluerunt, vt *de futuro* concepta sint *c. 32. X. de sponsal*. qualia sunt, si dixerint: *ego te recipiam in meam & ego te in meum sine similia verba c. 31. X. &c.* Item: *non habeo aliam in uxorem, nisi te. GONZALEZ ad c. 9. X. de sponsal*. Ita scilicet ea comparata esse debere voluerunt, vt indicarent, tantum promissum esse *futurum* matrimonium, minime autem de *presente matrimonio* consensum declaratum esse. Hæc ipsa sponsalia de futuro porro eodem modo, vbi de iure civili, sunt vel *pura* vel *conditionata* obseruante *CORVINO cit. l. n. 15*, nec in vtraque specie deuersum quid reperitur decisum. Similiter sponsalia *de futuro* sunt tam *puberum* quam *impuberum* *tot. tit. X. de sponsal. impub.* nec inde quædam diuersitas quoad sponsalia *de presenti* & *de futuro* deducitur.

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 9

ducitur, id quod tamen Icti protestantes facere solent, sponsalia impuberum esse de futuro dicentes, puberum vero de praesenti, quatenus pura sunt. Vterius vti de iure Romano sponsalia solo consensu perficiuntur, nec ullam solennitatem desiderant, ita nec de iure canonico, quo etiam solo nunc perfici possunt c. 23. 15. X. de sponsal. Et iure Romano sponsalia praecedunt, & nuptiae postmodum sequuntur, & consequenter non vnum idemque negotium constituunt, ita quoque de iure canonico diuersum non obtinere patet ex c. 30. C. 27. q. 4. c. ubi ita: institutum est, ut iam pacte sponsae non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatare. Distinguit textus inter pactam sponsam & uxorem, inter maritum & sponsum quod iure communi admodum conueniens est vid. GONZALETZ ad c. 2. X. de sponsal. n. s. ut adeoque ex his satis appareat, sponsalia de futuro in sensu iuris canonici cum sponsalibus iuris Romani exacte conuenire.

§. VII. Addidit ius canonicum sponsalia de praesenti, quae ^{Adidit de} per verba de praesenti contracta sunt, ut dicitur in c. 22 & 32. ^{novi ius ca-} X. de sponsal. c. 14. X. de conuers. coniug. Verba autem de praesenti ^{n. nicum} dicuntur, quibus declarunt consensum matrimonialem; vel ^{sponsalia de} luti si sponsus dixerit, quod mulierem ab eo tempore pro ^{praesenti} coniuge tenere & ei sicut uxori sua fidem seruare vellet; illa ^{ubi verba de} vero itidem promittit, se sponsum pro marito habituram & fidem ^{praesenti re-} ei tanquam viro proprio seruaturam, quae formula occurrit in c. 9. X. de sponsal. & rubrica istius textus addit, ^{quiritur} his verbis contrahi matrimonium de praesenti. Alia formula occurrit in c. 31. X. de sponsal. & c. 3. X. de sponsa duor. Ego te in meam accipio & ego te accipio in meum, qua formula magis consensum matrimonialem, quam sponsalium declaratum esse volunt; interim tamen licet talis promissio vim matrimonii inferat, adhuc tamen figuram sponsaliorum ^{consensum} superesse existimarunt, quod deficeret cohabitatio, alia iura ^{matrimo-} inter coniuges recepta locum inuenirent, nec ^{nialem de-} ^{clarantis}

B

solent

10 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

solennia ecclesiastica accessissent. Ceterum haud existimandum est, pontificios hic nude *formulis verborum* inhaesisse, & ex iis sponsalia *de presenti* definiisse, quod quidam *præter meritum* doctrinas Canonistarum imputant, quin potius ad *consensum* esse respiciendum voluerunt. Inde (1) in sponsalibus *de presenti adesse consensum de presenti* (scilicet matrimonio) dixerunt in *c. 31. X. de sponsal. c. 4. X. de sponsal. duor*; e contrario in sponsalibus de futuro occurrere *promissionem de futuro* (scilicet matrimonio) ut dicitur in *cap. cit. 4.* Breuiter eodem, quo Icti protestantes, distinxere modo, inter *consensum sponsalitiuum & matrimonialem* (2) Quæsitus præterea etiam fuit pontifex, utrum *verba* ad matrimonialem consensum declarandum essent necessaria? Respondet in *c. 25. X. de sponsal. matrimonium in veritate*, seu *in se* consideratum contrahi per *legitimum viri & mulieris consensum*, & ita verba simpliciter haud necessaria esse; esse tamen *necessaria quantum ad ecclesiam*, *verba consensum exprimentia de presenti* seu *matrimonialem*, quo ipse respicit ad morem & ritum ecclesiæ solennem, quo a sacerdote de *consensu matrimoniali* publice declarando interrogantur desponsati. Ex quo rursus apparet, declarationem illam solennem, quæ a neonymphis in sacerdotali benedictione fit, dici *consensum de presenti*, qui etiam signis declarari potest veluti a *nuuo c. 23. X. de sponsal.* (3) Denique censuere pontifices, posse etiam *consensum de presenti* exprimi *facto ipso*, veluti si sponsus cum sponsa, cui fidem dederat *super matrimonio contrahendo* (& sic per verba de futuro) concumbat, quia ex tali carnali copula potius *consensus matrimonialis*, quam *fornicatio* præsumenda est *c. 15. & 30. X. de sponsal.* Idem dicendum est, si vel maxime sponsalia *conditionata* inita fuerint, quia ob copulam carnalem a conditione recessisse præsumuntur, cum consensus coniugalis cum conditione adiecta consistere nequeat *c. 6. X. de condit. appof.* Vnde fluxit regula Dd, vulgata, quod

nec præcisè
verba hic
necessaria
sunt

sed factò ipso
declarari con-
sensus ma-
rimonialis
potest.

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI, II

quod concubitus subsequens faciat transire sponsalia in matrimonium, quæ tamen non de aliis, quam validis, intelligi potest.

§. VIII. Atque hæc verba *consensum de presenti* exprimentia, ipsum constituere *matrimonium* censuerunt, licet alia solennia ecclesiastica deficiant, nec partes cohabitent, sed *sponsi & sponse* nomen adhuc præ se ferant. Constat hoc ex c. 17. X. de convers. coniug. ibi: *ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de presente contrahitur.* In c. 31. X. de sponsal. talis promissio per verba de presenti dicitur *matrimonium*, quod etiam confirmatur per c. 22. & 31. X. eod. imo frequentius *matrimonium* talis promissio dicitur, quam *sponsalia de presenti*, quæ locutio inusitata est in iure canonico, & magis ab interpretibus assumpta. Interim in c. 13. X. de presumt. occurrit mentio *sponse*, in quam iuuenis per verba de presenti *consensit*, & ipse actus dicitur *desponsatio* per verba de presenti in c. 22. de sponsal. c. 4. X. de spons. duor. unde interpretes talem promissionem dixerunt *sponsalia de presenti*, quæ, ut ait CANSIVS ad tit. de sponsal. n. 9. licet verum *matrimonium* sint, tamen ideo *sponsalium* nomen adhuc retinent, quod ea uxor cum effectu non intelligatur, quæ in viri domum nondum traducta & cognita est. Huc etiam collimat ESPEN. in iur. eccl. P. II. tit. 12. c. 1. §. 1. ubi dicit, hodie amplius nomine *sponsaliorum* ea significari non solere, nisi addatur *expresse de presenti*, censeturque addit, quasi particula alienans ad alienam significationem transferens. Quamvis enim ad *matrimonium* solemniter ineundum declaratio consensus matrimonialis publica, in facie ecclesiæ facta, accedentibus quibusdam ritibus, necessaria esse videatur, de iure canonico tamen defectus huius solennitatis non tollit *matrimonium* c. 1. de sponsal. c. 1. 2. X. de cland. de spons. utpote quod *declaratio consensus matrimonialis*, etiam *privata*, minus solennis, & *clandestina* constituit c. 25. X. de sponsal. Collimat huc Concil. Trident. Sess. XXIV. de reform.

12. CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

quod de iure
canonico
nullas solen-
nitates re-
quirit

matr. cap. 1. ubi patres huius concilii ita ratiocinantur: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero consensu contrahentium facta rata & vera esse matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit &c.* & tamen nihilominus in eodem capite *clandestina matrimonia irrita declarata sunt.* Inde concludit *ENGELIVS* in *colleg. lur. Canon. tit. de sponsal. S. 1. n. 2.* hodie in foris Catholicorum cessare disputationes istas antiquas de efficacia verborum, *utrum nuda sponsalia, an vero matrimonium inuoluerent, postquam per Concil. Tridentinum matrimonium pro nullo declaratur, quod sine testibus & Parocho contractum est, ut proinde ipsa distinctio inter sponsalia de presenti & de futuro inter catholicos vix amplius vsum habeat.* Unde quoque inferunt, quod hodie non amplius *sponsalia de futuro* per concubitus in matrimonium trans-eant, id quod sine solenni delaratione post concilium Tridentinum subsistere nequit, *FAGNANVS* ad c. 50. X. de *sponsal. n. 8.* Multo minus *verba de presenti*, etiam præterea concubitu accedente, hodie in foris pontificiorum ma-trimonium constituunt, si forma concilii Tridentini non est seruata, ut *Idem* euincit n. 11. cit. l. Et ita inter catho-licos hodie dantur tantum *sponsalia de futuro*, seu *proprie dicta.*

Sponsalia de
presenti na-
ta sunt ex
patrum do-
ctrina qua
sponsalia
coniugium
esse dixerunt

§. IX. Forsan patres Tridentini animaduertent, fundamentum horum sponsaliorum *de presenti* esse ad-modum lubricum & inane, & patrum incommodæ inter-pretationi debere. Videlicet quidam ex patribus spon-salia erronee coniugium ipsum inuoluerit arbitrati sunt, & ex quibusdam locis scripturæ S. collegerunt, *sponsas* dici *uxores*, & *sponsos* non raro *maritos*, & tandem ex hac hypothesi de *indissolubilitate sponsaliorum* disputarunt, aliasque confusiones induxerunt. Collegit patrum hac de re sententias *GRATIANVS* *Caus. XXVII. qu. 2.* unde po-tiora excerpta sunt. *AVGVSTINVS* relatus in c. 9. ita loquitur: *Coniunx vocatur a prima fide desponsationis, quam*

con-

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 13

concubitu non cognouerat Ioseph, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commissio; quod etiam ISTDORVS repetit relatus in c. 6. Similiter GREGORIUS M. inc 12. ita philosophatur: qui desponsatam puellam proximi sui acceperit in coniugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei: quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam diuina legis mos est, sponsas appellare coniuges, ut in Euangelio: accipe Mariam coniugem tuam. Et illud in Deuteronomio: si quis cuiuslibet hominis desponsatam puellam in agro vel in quolibet loco oppresserit, vel abduxerit in domum suam, moriatur, quia uxorem proximi sui violauit, non que iam uxor erat, sed que a parentibus uxor fieri debebat. Vnde concludebant, sponsalia esse indissolubilia, vid. c. 8. imo inducere impedimentum futuris nuptiis, sponsa mortua, ut quis eius sororem ducere non possit c. 11. aliamue consanguineam per cap. 14. & 15. E contrario in c. 18. seqq. plurima argumenta & testimonia, more suo, coaceruat, quibus ostendit, sponsalia haud esse matrimonium, quod haec simplicibus uerbis contrahantur, de futuro scilicet matrimonio, quibus una caro fieri non possunt, unde collegit BENEDICTVS; sponsalia sola non operari impedimentum, quo minus quis defunctae sponsae sororem ducere possit, per c. 18. porro sponsam quidem posse inuito sponso in monasterium transire per c. 27. seqq. sed non uxorem c. 10. seqq. Hoc intuitu AMBROSIVS relatus in c. 38. distinguit sponsalia & coniugium hoc modo: si quis DESPONSATA sibi & ratiua uiatur, sive coniugium uocatur. Puteat GRATIANVS in c. 84. has discordantes ueterum opiniones in concordiam deduci posse per distinctionem inter coniugium initiatum & ratum. Ita ut inter sponsum & sponsam coniugium initiatum, inter copulatos sit coniugium ratum, qua allata distinctione satis obscura etiam aliorum patrum dicta explicauit, qui sponsam uxorem dixere in c. 35. seqq.

*quod alii
patres haud
admiserunt.*

quos Gratianus in c. 84. concilianis

B 3

§. X.



14 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

Per ineptam
distinctionem inter
matrimonium in
initium et ratum

§. X. Sed hac distinctione minime nodum dissoluit. Neque enim tantum inter patres dissensus de *mine* sed de *re ipsa* erat. Ex diuersa eorum hypothesi diuersæ fluebant conclusiones. Sic quærebatur, vtrum quis possit sponsæ præ defunctæ sororem ducere vxorem? Negabat hoc ipsum GREGORIUS M. HIERONYMUS aliique, ex ea hypothesi, quod inter desponsatos iam esset, *verum coniugium*. Affirmabat BENEDICTUS papa, quia negabat, sponsalia matrimonium constituere, quem dissensum sua distinctione minime dissoluit. Porro alii solum *consensum* constituere matrimonium dicebant *c. 1. seqq.* regula iuris ciuiliis decepti, qua *consensus* dicitur constituere matrimonium, non *concubitus*: alii vero præter consensum adhuc *traditionem* requisiuerunt *c. 33. seq.* Vnde ad has similesue difficultates, quas etiam LOMBARDUS *lib. IV. Dist. 27.* ex sententiis patrum collegit, enucleandas, canonistæ vel potius scholastici distinctionem illam inter sponsalia *de presenti & de futuro* ex cogitasse videntur, FRANCISCO HOTMANNO *de sponsal. c. VI.* teste, qua distantes, vtrum hæc distinctio menti dissensientium conformis fuerit nec ne. Hac stante hypothesi, negantes sponsalia esse matrimonium intelligendos esse dixerunt *de sponsalibus de futuro*: ceterum sententiam eorum, qui sponsalia *verum matrimonium* esse voluerunt, restringendam esse censuerunt ad casum, si per verba, consensum *de presenti coniugio* declarantia, sponsalia inita fuerint, quamuis vix probabile sit, patres hunc præcise casum præsupposuisse. Neque enim antiquitus moris fuit, sponsalia ita inire, vt statim declararetur in coniugium *presens* consensus sed potius in *futurum*. Ipse AVGVSTINUS *in c. 29. c. 27. q. 2. institutum* esse, ait, more scilicet antiquissimo, *vt iam pacto sponsa non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatare*. Equidem MARTINVS CHEMNITIVS, Theologus pietate & eruditione

Scholastici ad
dissensum
collendum
excogitarunt
distinctionem
inter sponsa-
lia de presen-
ti & de fu-
turo.

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 15

tione inclutus, *loc. de coniug. c. 1. p. 107.* distinctionem hanc ab ecclesia & probatam & receptam esse contendit, quod a veteris ecclesiae doctoribus monstrata & tradita, non vero a Canonistis vel scholasticis primum excogitata fuerit. Verba eius refert etiam *DEDEKENNYS vol. III. consil. theol. lib. II. sect. I. n. 1.* Verum hoc ipsum esse, quod in dubium vocari debeat, iam antea dixi. Revera patres dissensere, imo si dicere liceat, quidam errare, quod sponsalia coniugium dixerint. Hoc certum quidem est, in quibusdam matrimonium cum sponsalibus coincidere, sed proinde ob unam alteramque convenientiam afferi nequit, utrumque negotium unum idemque esse. Potest sponsa dici vxor *vero respectu* & ita in sacris & profanis nonnunquam dicitur, vid. *ANDREAS TIRAZVELLVS ad LL. connub. gl. II. n. 1. seqq.* Sed quae in vno vel altero inter se conveniunt, non statim in omnibus conveniunt, sed potius sponsalia adhuc omnino distincta manent a matrimonio. *TIRAZVELL. cit. l. n. 18.* Proinde si quis attentius loca patrum a *LOMBARDO & GRATIANO* collecta inter se confert, non aliud iudicium de his ferre potest, quam patres dissensisse.

§. XI. Præterea doctrina hæc, *consensus matrimonialis declarationem simplicem, priuatam, & minus solennem, sufficere ad constituendum matrimonium, ubique inualuerat, & imprimis in foro conscientie eandem attendendum esse, omnibus inculcabant, quod in foro poli iam essent coniuges, Braut und Bräutigam wären vor Gott schon Eheleute etc.* Neque vero in foro conscientie tantum ita iudicandum esse credebant, sed etiam in foro externo ecclesiastico, utpote quod conscientis vnice confuleret, & quaestiones conscientiae dissolveret. Inde in causis matrimonialibus, quando de dirimendis sponsalibus agebatur, semper rationem verborum habuerunt, utrum de presenti an de futuro essent concepta. Quin quod hac insigni cautela uti solerent, ut ad sponsaliorum vinculum indissolubile

Accedebat persuasio consensus matrimonialis, quomodo decantque declaratum facere matrimonium.

16 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

*Denique
verba de
presenti uti-
lia esse indi-
cabunt ut
sponsalia
redderentur
indissolubi-
lia.*

lubile constituendum *verba de presenti* spondentibus præ-
scriberent, vel eos inducerent, ut talia verba adhiberent,
quibus *presens consensus matrimonialis* declararetur. Non
iuramentum, non solennis obligatio in scripturam re-
dacta & sanguineis literis firmata, non subarrhationes
vinculum tale constituere poterant, quod dissolui ne-
quiret. Sola hæc cautela hunc effectum habebat, ut spon-
salia *indissolubilia* redderentur, & ita magnum usum ha-
buisset videtur, id quod etiam tot textus iuris canonici
indigitant. Ni me omnia fallunt, sponsalia huiusmodi
inita sunt per legatos a *FRIDERICO II.* Imperatore cum
sorore *HENRICI III.* Regis Angliæ anno 1235. de quibus
MATTHÆVS PARISIENSIS *ad cit. ann. p. 350.* ita lo-
quitur. *At illi (legati) cum in virginis inspectione visum
aliquandiu recreassent, & eam imperiali thoro dignissimam
in omnibus indicassent, confirmarunt matrimonium in animam
imperatoris, interposito iuramento, offerentes ei ex parte ipsius
imperatoris anulum sponsalem. Quem cum in eius digito
posuissent pronunciauerunt eam imperatricem esse Romani im-
perii, communiter dicentes: viuat, imperatrix, viuat. De-
inde cum legati, ea que facta fuerunt, sub omni festinatione
imperatori per fideles nuncios intimassent, post paschalem so-
lemnitatem misit Archiepiscopum Coloniensem & Louanix ducem,
cum virorum nobilium multo comitatu in Angliam, qui
IMPERATRICEM ad ipsum honorifice perducentes MATRI-
MONIUM IAM INITIATVM ET RATVM PROCVRA-
RENT, ut in cognitione carnali fieret CONSUMMATVM.*
Nam communiter distinguunt hoc modo matrimonium
initiatum, ratum, & consummatum, ut illud denotet sponsa-
lia de futuro, istud sponsalia de presenti, hoc vero ipsum
matrimonium per copulam carnalem consummatum, *ESPEN.*
in iur. eccles. P. II. tit. 12. c. 1. n. 1.

*Erroneum
tamen est,
consensum.*

§. XII. Ceterum si dicendum, quod res est tum
patres, tum horum interpretes & simiæ *scholastici*, in hac
doctrina insigniter abusi sunt ratione iuris vulgatissima,

602-

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 17

consensum, non coitum, facere matrimonium c. 1. 2. 3. 4. 5. c. 27. quomodo ma-
 9. 2. Ratio ipsa satis vera est, modo recte intelligatur. Scili- *rimonialis*
 cet tum Romani tum alii populi censuerunt, in contra- *coniugium*
 hendo matrimonio tanquam *re ardua & maxime ordi-* *facere.*
nata non quamvis voluntatis declarationem sufficere, sed
 in republica bene ordinata, ut matrimonium a vaga libidi-
 ne distingueretur, eique certitudo sua non deesset, *so-*
lennem & publicam declarationem accedere debere, quæ
 variis ritibus expediebatur descriptis a BRISSONIO &
 FRANCISCO HOTOMANNO *ir. de nupt. veter. TIR. 1. QUEL-*
 LO ad LL. *conub. R. EUARDO lib. IV. varior. c. 16. &c.* Quan-
 do ergo in *l. 15. ff. de condit. & dem.* Ictus asserit, *consen-*
sus facere matrimonium, non concubitus, hoc itidem de
 legitima declaratione, quæ maxime fiebat per deductionem
 in domum, intelligendum esse indicat ipse contextus,
 quamvis patres hanc regulam, per abusum, postea ad
 quamvis declarationem etiam *privatam, clandestinam, &*
minus solennem traxerint. Equidem asserunt pontifi-
 cii, iuris antiqui strenui vindices & assertores, *solennia*, in
 declaranda voluntate obseruanda, ex natura rei non exi-
 gi, sed valde tantum conducere ad certitudinem sancti-
 tatem & decenciam matrimonii, adeoque non esse sub-
 stantiales actus. GONZALEZ ad *c. 1. X. de sponsal. n. 19. 20.*
 Equidem id negari nequit, si res secundum ius naturæ
 examinatur; quia vero ius civile ex ratione *publice uti-*
litis iuri naturæ & addere solennia, & detrahere potest,
l. 6. ff. de i. & i. sine dubio, postquam illud factum est, for-
 ma noua, negotio præscripta, seruanda est, alioquin actus
 est nullus. Pactum quatenus *contractui* opponitur, ex
 sua natura non requirebat *verba solennia*, & tamen si ea
 non adhibita essent, de iure Romano non valebat, post-
 quam hæc solennitas pactis semel præscripta erat. Si-
 militer venditio rerum immobilium ex sua natura non
 requirit *iudicialiter* factam declarationem; interim si statu-
 to hæc forma venditionibus immobilium præscripta est,
 adeo

C

adeo seruanda est, vt alias venditio extraiudicialiter facta non valeat. Allegarunt Patres, adesse tamen obligationem in conscientia, si consensus priuatim declaratus sit, & huius in foro ecclesiastico rationem habendam esse. Sed respondeo, si torum ecclesiasticum est proprie dictum iudicium, non delegibus, sed secundum leges iudicare debet, quæ iusta ratione in hac materia nituntur. Cerebrina æquitas est, quam in hac doctrina supponunt, quæ multis turbis, dubiis, & inordinatis cohabitationibus ansam dedit, quod non diffitentur Patres Tridentini, prout §. VIII. monui. Ecce enim recesserunt a doctrina patrum? quem in finem reprobauerunt declarationem priuatam, minus solennem, clandestinam, quæ olim constituebat matrimonium? Respondent patres: quod sancta synodus grauia peccata perpenderit, quæ ex iisdem & clandestinis coniugis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum quaclam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Ita sub prætextu conscientie sæpe optimæ leges interuertuntur & negliguntur in insignem reipublicæ iacturam, quam qui postponunt, conscientie propriæ parum consulunt.

Sponsalia de presenti hodie apud pontificios non amplius pro matrimonio habentur.

§. XIII. Hæc fuerunt fata doctrinæ de sponsalibus de presenti, quæ prout dictum est, post concilium Tridentinum, in plerisque locis, vbi decretum illud publicatum est, vsum omnem amisisse videtur. vid. ESPEN. in iur. eccl. P. II. tit. 12. c. 5. n. 29. & 30. BARBOSA ad c. 30. X. de sponsal. n. 11. ZOESIUS ad tit. X. de sponsal. n. 22. Nam talis declaratio presentis consensus matrimonialis aut fit priuatim & clandestine, in ipsa desponsatione aut, prout concilium Tridentinum requirit, coram Porocho adhibitis testibus. Hodie amplius matrimonium inter Catholicos dici nequit; & ita nec amplius sponsalia de presenti constituit, quia hæc ideo a sponsalibus de futuro distinguuntur, quod olim matrimonium inducerent.

ZOE.



SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 19

ZOESIUS *ad tit. de clandest. despons. n. 2.* HÆC vero nomen *sponsaliorum* amplius non habet, sed *matrimonium* tantum dicitur. Breuibus: inter ipsos Pontificios hodie tantum dantur *sponsalia de futuro*, & ipsum *matrimonium*, vii de iure Romano.

§. XIV. Utinam vero protestantes eandem doctrinam, nouiter inter Catholicos receptam, amplexi fuissent! Equidem B. LUTHERUS, verioris doctrinæ restaurator egregius, doctrinam hanc haud incorrectam reliquit, sed grauiter monuit, formulas illas *de presenti* & *de futuro* aptas natas esse ad rixas multiplices introducendas, inde distinctionem hanc vel reiiciendam vel alio modo explicandam esse censuit, in libello von *Esachsen* ut ita; Gleichwie sie auch ein lauter Narrenspiel getrieben haben cum verbis de *presenti* vel de *futuro*, damit haben sie auch viel Ehe zurißten / die nach ihren Rechte gegolten haben / und gebunden / die nichts gegolten haben. Denn diese Worte / ich will dich zum Weibe haben / oder ich will dich nehmen / ich will dich haben / du sollt meine seyn und dergleichen / haben sie gemeiniglich verba de *futuro* genemmet / und für gegeben: Der Mann solte also sagen: *accipio te in vxorem*. Ich nehme dich zu meinen Weibe: die Weibsnahme also: ich nehme dich zu meinen Ehemann; und haben nicht gesehen / noch gemercket / daß dis nicht in Brauch ist teutsch zu reden / wen man de *presenti* redet / sondern das heiß de *presenti* geredet. Ich will dich haben: *ego volo te habere*, est *presentis temporis*, non *futuri*. Darumb redet kein Mensch teutsch von zukünftigen Verlobnissen / wenn er spricht: Ich will dich haben oder nehmen. Denn man spricht nicht: ich will dich haben / wie die Bauern mit dem *accipiam te*, sondern *accipio te*, heiß eigentlich auff teutsch / ich will dich nehmen oder haben / und wird verstanden de *presenti*, daß er igt mit solchen Worten ia spricht / und seinen Willen darenin giebet. Ich wüßte selbst nicht wohl / wie mein Knecht oder Magd solten oder könten in teutscher Sprache per

Hec distinctio reprobata est a Lutheris

verba de futuro sich verloben. Denn wie man sich verlobet / so lauts per verba de praesenti, und sonderlich weiß der Vöbel von solcher behenden Grammatica nichts / daß accipio und accipiam zweyerley sey / er fährt daher nach unserer Sprache fort und spricht. Ich will dich haben / du sollt meine seyn &c. da ist ist die Stunde ia gesagt ohne weiter Aufzug und Bedencken. Ita censuit, B. LUTHERUS. Quamvis vero negari nequeat, verba de praesenti, a verbis de futuro distincta ad inventa subtilia Scholasticorum referenda esse, & pontifices quosdam, quos carpit LUTHERUS, fatis infulle inter *accipiam* & *accipio* distinxisse, textus tamen LUTHERI ostendit, ipsum mentem Canonistarum in omnibus assecutum haud fuisse. Neque enim, vt supra ostendi; ex folis illis formalis, *accipiam* & *accipio*, rem aestimabant; nam hæ fatis ambiguae sunt: sed ad voluntatis declarationem respiciebant. Vnde si tantum actum erat de *sponsalibus* ineundis *proprie dictis* id quod ex tractatibus iudicari poterat, verba desponsationis secundum intentionem contrahentium capiebant, qualis in dubio videtur fuisse, vt non statim matrimonium sed *sponsalia* proprie dicta contrahant vid. supra §. V. Deinde voluntatem, praesens matrimonium ineundi, non tantum ex *formula* adducta, sed etiam aliunde, imo ipso *facile v. c.* concubitu subsequente colligebant, vnde mens eorum magis perspicua redditur. Quicquid vero sit, recte reprobavit hanc distinctionem cum in republica bene constituta non sufficiat ad matrimonium qualiscunque declaratio, sed illa *legitime & prescripto modo* fieri debeat, quo facto iam *matrimonium* actuale adest, non nuda sponsalia.

cnus mentem tamen non accurate assecutus est.

Aliiter eam explicandam esse & sic retineri posse censuit.

§. XV. Putavit tamen B. LUTHERUS, retineri posse distinctionem, si modo commodiorem accipiat interpretationem, videlicet vt *pura* dicantur *de praesenti*, *conditionat. vero de futuro*: Ait enim: das laß ich wohl verba de futuro heißen / wenn meine *Conditio* Anhang oder
Aus

Ausug dabey gesetzt würde / als ich will dich haben / so du mir 100. Fl. mit bringest. Item so deine / und meine Eltern wollen und dergleichen. In solchen Worten wird der Wille nicht frey darzugegeben / sondern auffgeschoben / und an etwas verbunden / daß in seiner Macht nicht stehet / und darumb er auch damit zugleich bekennet / daß ers ist noch nicht thun könne / und sein Wille noch nicht frey sey. Darumb bindet auch solch Verlöbniß nicht als : per verba de praesenti (h. e. si sponsalia pure contracta, nulla adiecta conditione.) Ita B. Lutherus retinuit distinctionem, sed nouam eidem addidit interpretationem a mente iuris canonici plane diuersam. Nam hoc iure sponsalia de futuro possunt esse pura & conditionata, nec verba de praesenti denotant promissionem puram, sed potius praesentis matrimonii declarationem, licet priuatam minus solemnem, nec a Parocho confirmatam. Similiter verba de futuro non denotant conditionalem promissionem praecise, sed in genere promissionem mutuam futuri matrimonii.

§. XVI. Hæc solertia LUTHERI in emendanda doctrina de matrimonio ab initio offendisse ICtos videtur. Ad minimum non constat, eos a principiis iuris canonici recessisse, quibus adeo immerfi erant, vt dolente licet Luthero, lectiones canonicas non desererent, sed casus emergentes secundum illa iura deciderent. Res inter LUTHERUM & ICtos fere erupisset in apertam flammam, nisi Electoris Saxoniae prudentia ignis in cinere extinctus foret. Refert enim SECKENDORFFIUS in histor. Lutheranismi lib. III. Sect. 32. §. 126. circa annum 1545. ICtorum sententias in Causis matrimonialibus, speciatim de sponsalibus clandestinis, & quod secundum Pontificum leges decidere non desisterent, vehementer offendisse LUTHERUM, adeo ut minas spargeret, se edito libello illos refutaturum esse. ICti rem ad Electorem detulerunt, qui in rescripto d. 8. Jan 1544 mandavit, vt de iis, quæ controversa & dubia essent, speciatim in causis matrimoniali-

ICti. prote-
stantes
retinere de-
finitiones
iuris cano-
nicæ

23 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

alibus, Theologi & Icti amice conferrent, & absque detrimento, doctrine Christiane, a Luthero proposita, concordarent, POSTHABITIS LEGIBUS PONTIFICIIS &c. Verum quia posthæc mox Witteberga discessit LUTHERUS, & post biennium decessit, plura in hac doctrina inemendata relicta sunt, nec amplius adfuit, qui Ictis mascule resisterent, ne tradita Pontificiorum in hac doctrina propagaret. Ita omnes fere conclusiones iuris Canonici in hac doctrina retentæ sunt. Ipse PHILIPPUS MELANCHTHON adhuc casum quandam decidit ex principiis iuris canonici, quam decisionem refert DEDEKENNUS in *Conf. theol. Vol. III. lib. II. sect. 2. n. 4.* huius tenoris:

*Inno præterea
omnes con-
clusiones hu-
ius: d. 12.
etiam is*

Die Reden zwischen Wolff N. von Ingolstadt / und Gall Thonius / sind gewißlich unkräftige Reden / denn Gallen Tochter Anna ist nicht bey der Zusage gewesen / und hat sie niemand zuvor gefragt / was ihr Wille sey? Auch ist sie noch in solcher Jugend gewesen / nemlich nicht über 12. oder 13. Jahr / daß sie noch nicht vermocht hat zu willigen. / auch ist kein artha gegeben worden. Aus diesen wahrhaftigen Gründen ist zu verstehen / daß dieselbigen Reden zwischen Wolff N. und Gallen nichtig sind. Und so man gleich hefftig fireitet / so können dieselbigen Reden nicht mehr gewesen seyn / denn sponsalia de futuro.

Nun ist öffentlich / daß sponsalia de futuro nichtig werden / so hernach folgen sponsalia de præsentia. Über das / so ist gedachter Wolff nicht in den bestimmten dreyen Jahren wederum in diese Lande kommen / ist also selber von den sponsalibus de futuro abgestanden. So aber jemand dieselbigen Reden noch härter vertheidigen wolte / so folget / daß Wolff ein Desertor ist / und solte gleichwol das arme Kind Gallen Tochter Anna von ihm ledig gesprochen werden. So weiß man / daß im Codice de repud. l. 2. und andern Orten die Jahr ausgedrucket sind / darin der Sponsus oder Marius wie derkommen soll.

Über

Aber ich bleibe bey dem ersten Fundament de Sponsalibus de futuro, und spreche also klar / daß die öffentliche Zusage per verba de praesenti zwischen Adam Thonius und Anna kräftig sey / und soll nicht verhindert werden / auch ist der arme Mann Gall damit nicht zu beladen / daß er dem Wolffgen Ingolstadt nachzichen solle / zuerkunden / ob er noch lebe.

§. XVII. Post decessum Lutheri Icti distinctionem hanc retinuerunt, & ex mente canonistarum explicuerunt. Quia tamen eo sensu Lutherus illam reprobaverat, doctrinam LUTHERI communi interpretationi addiderunt. SCHNEIDEWINUS, discipulus Lutheri, in comment. ad 7 tit. de nupt. P. 1. n. 5. hunc observat processum, & tandem concludit: Possunt igitur sponsalia de futuro dici tractatus de futuro matrimonio, ita quod illa promissio futurarum nuptiarum non contineat in se purum & absolutum consensum, sed cum quodam tractu futuri temporis. Vt notatur in d. c. per. X de sponsal. Ita doctrinam Lutheri quidem secutus videtur, vt tamen ægre recederet a principiis iuris canonici, quem in finem ad hoc per. cit. provocat, a LUTHERO reprobatum. Evidentius hoc apparet ex sequentibus, quia n. 16. tradit differentias sponsaliorum de presenti & de futuro, secundum doctrinam iuris pontificii. Ait sponsalia de presenti esse ipsum matrimonium, nec mutuo dissensu dissolui posse &c. porro n. 32. de sponsalibus conditionatis agit, & totam hanc doctrinam ex mente pontificiorum explicat. Eius Collega & coætaneus JOACHIMUS A BEUST in tract. de sponsal. & nupt. doctrinam & LUTHERI & iuris canonici propagavit, vti ex P. 1. §. 3. apparet imo §. 10. vbi differentias huius distinctionis tradit, conclusiones iuris canonici ad vnguem retinet, quamvis, vt contextus docet, eas magis applicare voluisse videtur ad illas definitiones, quæ nouiter a LUTHERO, distinctioni huic assignatae sunt. WESEMBECCIUS in doctrina iuris canonici nihil mutavit, sed ad tit. ff. de sponsal. n. 3. distinctionem hanc ex mente canonum explicuit, docens: sponsa-

Interpretatio noua Lutheri super addita definitionibus iuris canonici

lia

lia de futuro esse tractatus seu *pactum de futuris nuptiis* aut cum impuberes inter se contrahunt, aut verba aliquin in futurum tempus aut sub conditione concipiuntur. Sponsalia de presenti vero dixit *promissionem coniugii presentis*, quæ est ipsa & genuina iuris canonici definitio. Cum vero hi tres post *GOEDENIUM & SCHURFFIUM* seculo illo, a reformatione admodum claro, principatum inter Ictos tenuerint, iudicari aliter nequit, doctrinam hanc per totum seculum XVI. propogatam & conseruatam esse, vtur in definitionibus ex doctrina *LUTHERI* hinc inde quædam mutatio facta fuerit, quæ tamen postmodum confusiones infinitas peperit.

Theologi quique illam distinctionem defendunt post Lutherum

s. XVIII. Eo magis autem eo seculo Icti hanc distinctionem retinuerunt, quod viderent, Theologos quoque eandem maximopere excolere. Floruit circa medium seculi XVI. alter ille *MARTINUS*, *CHEMNITIUS* scilicet, qui in *locis theol. de coniug.* ab ecclesia hanc distinctionem, vt pote a veteris ecclesiæ doctoribus monstratam & traditam, iustis de causis receptam fuisse, adeoque eandem fusc explicat, putatque Sponsalia de presenti & futuro distingui vt pactum de emendo vendendo ab ipsa emtione. Quia vero prævidit, ex doctrina communi turbas facile nasci posse, remotis verborum cauillationibus putauit, ex his considerationibus *Sponsalia de futuro* iudicari posse: (1) *Si verba plana & manifesta sunt quod non purus absolutus & presens sed suspensus consensus fuerit, scilicet quod disertam exceptionem annexam habuerit, nondum velle se prorsus obligari, sed liberum debere esse vel vni vel vtrique parti, vt retrocedat. Vel quando contractus suspenditur, cum tali additione vel le partes ea de re conuenire & agere, vt certi quid concludatur & statuetur.* Primo ex his verbis apparet, etiam *B. CHEMNITIUM* existimasse verba de presenti & pura de iure canonico, cui hæc distinctio debetur, coincidere, id quod a uero alienum est. Deinde verba adducta mon-

christiana
chemnitiana
sponsaliorum
de futuro
examinantur.

Tractatus

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRAESENTI, 25

monstrant, *tractatus sponsalities* ab eo dictos fuisse *sponsalia de futuro*, quam sententiam plures postea secuti sunt. Admodum tamen incongrue. Sicuti enim tractatus de futura emtione ineunda admodum infulse dicerentur, *emtio de futuro*, cum emtio tunc demum emtio dici possit, cum *de pretio* inter se conuenerint; ita sponsaliorum nomen tribui nequit *tractatibus* eiusmodis, qui sunt *preparatoria* sponsaliorum, non ipsa *sponsalia*. Nec particula *de futuro* rem saluat, cum reuera contradictionem inuoluat, id vocare *sponsalia*, quod essentialia *sponsaliorum* apud omnes gentes recepta non habet. Proinde quocumque nulla ex his tractatibus nascitur *obligatio*, quae tamen ex sponsalibus nasci debet. Erant de iure canonico sponsalia de futuro, *vera & proprie dicta sponsalia*, & sic obligatoria, a quo significatu definitio B. CHEMNITII longissime recedit. Alterum *negotium* eiusdem est *farinae*. Ait: (2) *si postea in ipsa tractatione & actione priusquam certi aliquid concludatur & statuatur, aliquid interueniat, ut actio prorsus intermittatur & abruptatur, vel ut dici solet: die Tractaten sind abgebrochen.* Non video sane, quomodo illud negotium, ubi de sponsalibus *ineundis* demum agitur, possit dici *sponsalia de futuro*, cum in idem *placitum* consensus adhuc deficiat.

§. XIX. Pergit porro: (3) *consideretur ex circumstantiis, an partes tunc voluerint non absolute certo aliquid statueret, sed tale quid, quod postea posset, si causa incidere, etiam addita multa, mutari.* Praesupponit, ni fallor, casum, quo *mutuo consensu*, quidem inter se conuenerunt, de futuro matrimonio, ut tamen plura adhuc *determinanda*, v. c. circa dotem, dotalitium, donationem propter nuptias &c. super sint, quod iterum ipsa sponsalia plene non constituit, sed tantum *actum futurorum sponsaliorum*, obseruante Illustr. Dn. THOMASIO *diss. de pact. futur. sponsal. §. 7.* Hoc *pactum* in pluribus locis praecedere solet, ubi postquam *indefinite* inter se conuenerunt, diem dicere solent.

D

folent

solemniter sponsalibus ineundis, eisque mutua conuentione determinandis, quæ ipso pacto præcedente referuata sunt. Proinde si nihil referuatum est, sed promissio de futuro matrimonio simpliciter fiat, ut pactum tale haud præcedat, hæc ipsa statim sponsalia constituit. Addit: (4) *an deliberato animo contractario vel pacto ita facta sit, quod uoluerint partes nasci inde obligationem & nexum conjugalem, vel ut esset initium coniugii.* Si deliberato animo promissio mutua facta est, ita ut nihil determinandum super sit, vera sponsalia utique contrahuntur. At hic casus a tribus prioribus speciebus toto coelo differt, adeoque non apparet, quomodo cum prioribus idem nomen fortiri queat.

Sponsalia
conditionata
& impuberum
primario velata
sunt ad sponsalia de futuro.

§. XX. Refert adhuc duas species ad sponsalia de futuro, dum ita pergit: (5) *sponsalia, que non pure sed sub conditione honesta & possibili contrahuntur, ante conditionis implementum non pariunt efficacem obligationem sed sponsalium de futuro equiparantur. Effectus enim suspenditur in euentum conditionis.* (6) *Desponsatio impuberum iuris interpretatione inter sponsalia de futuro censetur, nisi puberes facti proprio consensu illa ratibancant: mutuus enim consensus requiritur.* Hæc duæ species utroque iure ad sponsalia proprie dicta referuntur. Nam de iure Romano vna tantum sponsaliorum species est, de iure canonico quidem duæ introductæ sunt, ut tamen sponsalia de futuro vera & proprie dicta constituent sponsalia, prout supra dictum est. Ergo B. CHEMNITII sententia a Canonistarum in eo recedit; quod ille sponsalia de futuro perfecta & omnibus numeris completa sponsalia esse neget, uti ex adductis speciebus constat; ius canonicum autem distinguit *ratæ* a sponsalibus de futuro, & hæc perfecta & proprie dicta sponsalia esse dicat, eaque vel pura vel conditionata esse asserat. In eo tamen incaute processisse videtur, quod pacta futurorum sponsaliorum non distinxerit a sponsalibus de futuro matrimonio, seu a veris sponsalibus, adeoque

Chemnitius
in multis
recessit a
conceptu iuris
canonici

spon-

SPONSALIA DE FUTURO ET DE PRAESENTI. 27

Sponsalia impuberum huc quoque retulerit, quæ tamen ~~im-~~
perfecta sunt, nec ante pubertatem vinculum habent, imo
pactum tantum quoddam de futuris sponsalibus, adueniente
pubertate, ineundis, si in eodem consensu persistant, con-
tineant.

§. XXI. Pergit deinde CHEMNITIVS ad sponsalia ^{sponsalia de}
de presenti, eaque tunc adesse ait, quando partes mutua pa-^{presente ex}
ctioe categorice de coniugio in presenti paciscuntur h. e. quan-^{mente B.}
do ipse coniugii contractus categorice, pura pactioe, in pre-^{CHEMNITIVS}
senti celebratur, ea intentione, ut absolute aliquid, quod postea pura sunt,
mutari non possit aut debeat, constituatur. Post pauca per-
git: Et licet talia etiam sponsalia in futurum respiciant, ut
scilicet postea sponso addu-^{antur}, & tradatur sponsa, tamen ve-
re ratum est coniugium. Et iam initium factum est presentis
coniugii. Id quod hoc exemplo intelligi potest: ut si contra-
ctio emtionis & venditionis rite celebratur, traditio posses-
sionis ad futurum aliquod tempus differatur, vera nihilomi-
nus est emtio. Si recte percipio CHEMNITIVM, sponsalia
de presenti cum puris coincidunt, ita ut nihil amplius de-
terminandum superfit, vel quod determinatio eorum,
quæ determinanda erant, facta fuerit, vel quod simplici-
ter desponsatio facta sine vlla alia reservatione rerum ad-
huc determinandarum. Talem enim desponsationem sim-
pliciter fieri posse, omnino arbitror, cum etiam sine dote
& pactis dotalibus nuptiæ subsistant. Quod si hanc de-^{in quo reced-}
finitionem secundum iuris canonici doctrinam examina-^{dit a iure cano-}
mus, hæc tantum sponsalia de futuro dicenda forent, quæ
etiam pure & sine omni conditione contrahi possunt c. 2. X.^{nonico & de}
de sponsal. ita ut categorice de matrimonio contrahendo sibi
fidem dederint. Imo hoc eo magis asserendum videtur,
quod vir beatus ipse asserat, hæc sponsalia in futurum re-^{presenti di-}
spicere, qualia sponsalia ubique dixere esse de futuro; de
presenti enim non respiciunt, ex mente Canonistarum,
in futurum, sed in presens tempus, prout supra explicui.
Supereft ergo adhuc insignis differentia inter doctrinam
^{in quo reced-}
^{dit a iure cano-}
^{nonico & de}
^{presenti di-}
^{c. 2. X.}
^{cit, qua eo}
^{inve dicuntur}
^{de futu-}

28 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

CHEMNITII & iuris canonici. Nam ille quidem sponsalia de futuro proprie dicta esse negat, hoc vero asserit: ille quidem sponsalia de presenti demum vera & proprie dicta esse asserit, hoc vero negat. Quæ ille de presenti dicit, hoc de futuro appellat, quæ autem hic de presenti nominat, plane nostratibus incognita sunt.

Inde varios
novos Conce-
ptus sibi 1671
protestantes
de hac dissen-
sione forma-
runt.

§ XXII. Postquam itaque Theologi & Icti protestantes terminos iuris canonici quidem retinuerunt, non vero rem ipsam & definitiones, non levis post modum confusio facta videretur, postquam quilibet novum & peculiarem hinc terminis conceptum tribuere studuit. Equidem *CARPZOVIVS* lib. II. *Iurispr. Consist. def. 17.* diuisionem hanc explicat secundum ius canonicum, sed n. 4. addit: *sponsalia illa de futuro nostrates non agnoscunt, propterea quod apud Germanos non sit talis loquendi consuetudo, & sub pratextu cum confusione verborum istorum multa vera coniugia distrahantur.* Satis, ni fallor, hæc verba indicant, *CARPZOVIVM* non exacte mentem canonum assecutum fuisse, neque enim nude hi ex verborum formula rem æstimabant c. 23. § 25. X. de sponsal. sed sponsalia de futuro tum adesse dicebant, quoties etiam pure de futuro matrimonio contrahenda, prout etiam hodie fit, partes conveniunt. Formulæ iuris canonici in c. pen. de spons. adductæ utique inanes sunt, quæ tamen non constituunt sponsaliorum essentiam, sed exempli causa tantum, quamvis incongrue adductæ sunt, ut inde colligi queat, utrum consenserint in *presens coniugium*, an vero in *futurum*. Imo Pontifices ipsi omnino censuerunt, in illis formulis haud subsistendum esse, sed sufficere alia quæcumque verba vid. c. pen. X. de sponsal. ibi *vel alia verba consensum experimentia de presenti*, & post pauca: *sive verba similia*, qualia in c. 9. X. eod. adducuntur. Addit *CARPZOV.* cit. l. n. 5. *Remanent sola sponsalia de presenti a iure canonico quidem introducta, revera tamen nulla, quia eiusmodi sponsalia pro nuptiis & matrimonio initiata*

hæc

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRÆSENTI. 29

licet n^ondum benedictione ecclesiastica firmato & consum-
 mato habentur. Vera est hæc assertio de iure canonico; ^{Et sponsalia}
 sed fallit *CARPZOVIVS*, quod putet, talia sponsalia esse ^{proprie dicta}
 illa ipsa, quæ in nostris foris nomine sponsaliorum ^{dixerunt de} *pro-*
prie dictorum veniunt, quæ potius ex mente canonum ^{presenti.}
de futuro essent dicenda. Illa sane incognita sunt, qui-
 bus desponsati ita firmiter se obligant, vt statim edere ve-
 lint consensum conjugalem, sponsa v. gr. dicente. *Ich neh-*
me ihn hiemit zu meinem Ehemann an/sponso vero: *Ich neh-*
me sie hiermit zu meiner Ehefrau an/ qualis tamen est mens
 iuris canonici in explanandis sponsalibus *de presenti*. Et
 tamen nihilominus omnia prædicata, iure canonico spon-
 salibus *de presenti* tributa, nostris sponsalibus *proprie di-*
ctis attribuit.

§. XXIII. Interim *CHEMNITII* doctrinam in *seq.* ^{Sponsalia de}
def. 18. sequitur, docetque n. 6. sponsalia *de futuro* non ^{futuro sup-}
 nisi *tractatus de futuro matrimonio* inferre, & apud ^{ponere, esse}
 frates parum attendi, quod sint tantum *tractatus præ-* ^{tractatus}
paratorii sponsaliorum. Hunc vero conceptum a iure ^{sponsaliorum}
 canonico alienum esse, patet inde (1) quod in his etiam
 fides pure detur *de matrimonio contrahendo*, h. e. quod sint
 mentio & repromissio futurarum nuptiarum *c. 2. X. de*
sponsal. c. 5. X. qui cleric. vel vovent. ibi fide data se nupti-
ram promissit. In his textibus non nudum pactum *de*
sponsalibus futuris latere, optime obseruat ill. Dn. *THOMA-*
SIVS *differ. de pact. futur. sponsal. §. 20. lit. m. n.* quamvis
 plures hoc arbitrati sunt. Qui igitur vtrinque pure fi-
 dem sibi dederunt *de matrimonio contrahendo*, plane
 non amplius subsistunt in nudis *tractatum* terminis, id
 quod etiam pontifex in *cit. c. 2.* exemplo *societatis* decla-
 rat. (2) Quod poenitentia ecclesiastica frangentibus
 sponsalia *de futuro* imponatur *c. 3. X. eod.* id quod ad
 tractatus præparatorios applicari nequit, in quibus nulla
 fidei violatio occurrit, quod tamen in sponsalibus *de fu-*
turo fractis supponitur *c. pen. in f. eod.* (3) Quod sponsa-

30 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

lia de futuro hoc iure inducant impedimentum honestatis publicæ c. 3. X. eod. c. vn. de sponsal. in 6. (4) Quod sponsalia hæc dicantur vera & proprie dicta sponsalia, secundum ea, quæ §. VIII. dicta sunt, quod de nudis tractatus dici nequit. (5) Quod obligationem inducant c. 22. X. de sponsal. quod rursum alienum est a tractatibus præparatoriis.

Vel conditio-
nata sponsa-
lia

contra men-
tem iuris co-
nuenit.

§. XXIV. In eo quoque doctrinam B. LUTHERI secutus est, quod sponsalia conditionata dicat esse de futuro, quæ, pendente conditione, non obligant, scilicet ad implendum, bene tamen ad expectandum conditionis euentum vid. lib. II. iurispr. eccl. def. 20. Ergo dantur sponsalia de futuro, quæ plane non obligant, & quæ obligant, saltem ad euentum conditionis expectandum: interim enim neutri integrum est ab iis recedere, prout ipse probat seq. def. 21. quod valde turbat conceptum sponsaliorum de futuro. Equidem & ius canonicum sponsalia conditionata de futuro esse dicit, sed non ideo, quia conditionata, cum & pura de futuro esse queant, sed quia in illis actum est de futuro, non præsentem coniugio. c. 15. X. de condit. appof. E contrario ex doctrina CARPZOVII fluit, quod pura sponsalia sint de præsentem dicenda, quod purus consensus inuoluat præsentem promissionem. Ita vero rursum sponsalia talia de præsentem sunt de iure canonico non alia, quam de futuro.

B. Strzykii con-
sensus illus-
trationis gra-
tia adducitur.

§. XXV. Sententiam hæcenus illustratam oppido defendit B. Dn. STRYKIUS de dissens. sponsal. sect. 1. §. 20. seq. quam ipsius verbis referam. Ait: Quare hic omnino distinguendum est inter consensum præsentem in nuptias, & consensum præsentem in sponsalia. Illi Canonistæ sponsalia de præsentem; hic de futuro faciunt, quod exemplis declarandum: accipio te in uxorem & accipio te in sponsam: utrobique verbum præsentem temporis adest, posteriori tamen casu tantum sponsalia de futuro apud Canonistas contrahuntur. Quotiescunque ergo verba non diriguntur in
præ-

SPONSAL DE FUTURO ET DE PRÆSENTI. 31

præfens matrimonium, toties non adfunt sponsalia de præfenti. In §. 22. ex his præmissis concludit, hodie apud nos sponsalia de præfenti in sensu iuris Canonici vix ulla dari, cum vix fingi possit casus, ubi inter sponsalia & matrimonium non intercedat una alteraque dies; sed illa, pergit tandem erunt vera sponsalia de præfenti; quando in facie ecclesie desponsati denuo interrogantur, ab ecclesie ministro, an alter alteram coniugem accipere velit? tunc enim reuera adest purus consensus in præfens matrimonium. Porro in §. 24. explicata LUTHERI sententia, docet retentam fuisse in ecclesiis evangelicis Lutheri sententiam, & ex eo tempore aliter, quam iure canonico, sponsalia de præfenti & de futuro explicari cepisse.

§. XXVI. In §. XXV. B. STRYKIUS ita hodie in ^{acta futuro:} confistoriis explicandam esse hanc distinctionem censet, ^{rum sponsali-} ut pacta de futuris sponsalibus dicantur sponsalia de futuro, ^{orum etiam} promissio vero futurarum nuptiarum, sponsalia de præfenti contineat, quo ipso inter se differunt, ut pactum ^{hodie dicuntur sponsalia} de despondendo & ipsa sponsalia. Interim tamen §. 30. sponsalia conditionata referenda esse iudicat ad sponsalia de futuro, cum in præfenti nulla adhuc dum obligatio sponsalitia adfit. Eandem, sententiam quoque fovet. Ill. Dn. THOMASIVS ^{de pact. futur. sponsal. §. III.} diff. de pact. futur. sponsal. §. III. asserens, quod, quamvis hæc pacta non nisi improprie sponsaliorum nomine insigniri possint, si tamen ea sponsalia nominare placeat, pro sponsalibus de futuro saltem sint habenda, & hætenus admitti posse illorum sententiam, qui tractatus de sponsalibus ineundis sponsalia de futuro nominare soleant, cum pacta illa nil nisi tractatus sint.

§. XXVII. Quodsi, quæ hætenus de fatis huius distinctionis adducta sunt, inter se conferimus, sequentia inde colligi posse existimo: (1) in nostris foris non dari sponsalia de præfenti in sensu iuris canonici, adeoque, quæ de his prædicantur, scilicet, quod constituent ma-

172

32 CAP. I. DE ORIGINE ET FATIS DISTINCT.

trimonium, applicatione omni destitui, si excipias eum casum, quando sponsalibus proprie dictis concubitus accessit, quo consensus matrimonialis declaratus est, vt proinde hic vnicus casus ad sponsalia *de presenti* in sensu iuris canonici acceptus, referri queat. (II.) Sponsalia de futuro esse proprie dicta sponsalia de iure canonico, in foris protestantium vere improprie dicta, imo quæ in nostris foris sponsalia *de presenti* dicuntur, de iure canonico tantum fuisse sponsalia *de futuro* c. 2. X. de sponsal. Proinde. (III.) Si dextre ius canonicum applicare volumus, ea quæ de sponsalibus *de futuro* eo iure asseruntur, sponsalibus *de presenti* in foris nostris tribuenda esse. (IV.) Tractatus præparatorios de iure canonico haud dici sponsalia *de futuro*, nec nomen *Sponsaliorum* habere, si forsan exceperis *sponsalia* impuberum, quæ pacta imperfecta esse videntur de futuris sponsalibus. (V.) Sponsalia conditionata tam iure canonico, quam moribus consistoriorum nostrorum esse *de futuro* c. 5. X. de condit op. posit. sed diuersis tamen ex causis & principiis; de iure canonico quidam, quia in iis de est, in *presens matrimonium* voluntatis declaratio, quæ constituit sponsalia *de presenti*; de præxi vero consistoriorum Protestantium, quia sponsalia non sunt *pura*, quæ demum *de presenti* iis dicuntur. Ita retenta eadem decisione, diuersas decidendi rationes allegant, quod etiam agnoscit BRUCKNERUS *decis. matrim. cap. 1. n. 28.* (VI.) Tres species sponsaliorum *de futuro* protestantes ICti adferre solent, scil. *tractatus præparatorios* sub quibus etiam pacta de futuris sponsalibus comprehenduntur, *sponsalia conditionata*, & *desponsationes impuberum*: sponsaliorum *de presenti* tantum vnica speciem agnoscunt, scilicet, quando *pure & sine omni conditione sibi inuicem de contrahendo matrimonio fidem dederunt.* Iuris canonici doctrina ab his toto coelo diuersa est, vt ex antea dictis facile colligi potest. Quæ.

SPONSAL. DE FUTURO ET DE PRÆSENTI. 33

Quæcunque enim ipsis definitionibus inter se differunt, illa eadem iura habere non possunt.

§. XXIIIX. Quemadmodum vero protestantes ICti ^{Quomodo} tuto relinquere potuerunt doctrinam pontificiam, ita ^{hac doctrina} videlicet comparatam, vt commode ad fora protestan- ^{ex iuris na-} tium accommodari haud possit; ita optandum fuisset, vt ^{tura princi-} terminis ipsis iuris canonici abstinuissent, & rem ipsam ^{pii proponi} ex natura sua æstimassent, quo ipso in tot difficultates ^{debuisset.} hæc doctrina in applicatione haud deducta fuisset. Sufficere omnino illis potuissent simplicissima *iuris naturæ* fundamenta, secundum quæ omnem sponsaliorum natu-ram diiudicare potuissent, posthabita distinctione sponsaliorum *de præsentis & de futuro*. Experientia teste enim quatuor quasi gradibus ad matrimonium plerumque deuenitur, ita vt (I) præcedere soleant *nudi tractatus*, quando *menio* die Anverbung a sponso quidem facta est, re-promissione a parte sponsæ adhuc cessante vid. B. Dn. STRYKE *in vs. modern. ad tit. de sponsal. §. 1.* (II) aliquando quidem accedere soleat repromissio *das 3a. Wort* vt tamen plura adhuc determinanda reseruentur sponsalibus futuris ineundis, vnde non ipsa sponsalia, sed *factum de futuris sponsalibus* nascuntur, vti Illustr. Dn. THOMASIVS *dissert. saepe laudata de pact. futur. sponsal.* fusius ostendit. (III) Deinceps, omnibus satis determinatis, sequantur ipsa sponsalia, quibus desponsantes sibi fidem dant de contrahendo matrimonio, & tandem (IV) ipsum matrimonium constituatur, per solennem in præsens coniugium declarationem. Hi quatuor gradus ita comparati sunt, vt ex illis sine vilo iuris canonici adminiculo, omnes quæstiones emergentes resolui potuissent. Sed nec Theologi nec ICti hac via simplicissima incessere sed decisiones iuris canonici sequi maluerunt, cum studium iuris naturæ non nisi leui brachio excoleretur, & ad decisiones controuersiarum haud adhiberetur. Ita ius canonicum ex communi præiudicio prælatum, vtpote quod

E

secun-

secundum persuasionem communem ICtorum fundamenta ex sacris peteret, & doctrinam ecclesie pro fundamento haberet.

Cap. II.

De' praxi incongrua doctrinae sponsaliorum de presenti & de futuro in foris protestantium.

§. I.

*Distinctio
adducta,
usum habet
in foris protestantium sed
plane peruersum.*

Non desunt, qui huius distinctionis plane nullum agnoscunt usum in foris protestantium, quæ sententia si vera est, nostra parum refert, verum doctrinam iuris canonici integram retinuerimus, an vero novas plane substituerimus definitiones. Ita censet BRUCKNERUS in *decis. matrim. c. 1. n. 3.* aiens: *Barbara illa latinitas, qua vir dicit, se accipere mulierem in suam uxorem, & mulier virum in suum maritum, & effectus diversus verborum presentis & futuri temporis in sponsalibus aliisque conventionibus, tam Romanis antiquis, quam aliis gentibus, incognitus fuit. In nostra quoque germanica & aliis linguis distinctio illa usui & praxi communi plane repugnat. Cumque etiam nos per aliquot annos in duobus diversis consistoriis versati simus, certo asserere possumus, nullum omnino usum istius distinctionis nos deprehendisse, ut adeo mirum sit, eam adhuc a multis, non tantum Theologis, sed & ICtis nostrarum partium hinc inde adhiberi & defendi. Merito autem ea a sanioribus nostratium reiicitur. Utinam vero non accepisset usum incongruum, quam forsitan BRUCKNERUS vel ideo non obferuarit, quia animadvertit, talia sponsalia de presenti a foris nostris aliena esse, quæ ius Canonicum in medium produxit. Ast hic non substendum, sed ante omnia inquirendum est, annon decisiones iuris canonici diversæ, huic distinctioni tributæ, in nostris supersint foris, & in,*

& incongrue applicentur, postquam definitiones nouas substituerimus. Scilicet si plerosque Ictos, imprimis vero *CARPZOVIVM* intueor, eorumque decisiones mente peruoluo, deprehendi, adeo eosdem placitis iuris canonici instituisse, ut quæ ius Canonicum de sponsalibus suis *de presenti* asserit, ea ad sponsalia *de presenti*, prout in foris protestantium definiuntur, transferre soleant; quæ vero ius Canonicum de sponsalibus *de futuro* definit, itidem adscribant sponsalibus *de futuro* nouiter fabricatis, h. e. ad tractatus sponsalicios, vnde mira rerum confusio orta est. Longe diuersas definitiones introducere; & tamen decisiones iuris canonici, diuersas definitiones supponentes, retinuere, quæ praxis adeo incongrua est, ut non potuerit non conclusiones parere minus coherentes. Sponsalia nostra *de presenti* de iure canonico dicuntur *de futuro*; ergo horum decisiones iis tribuendæ fuissent, si ius canonicum sequendum esse existimassent; e contrario quæ de sponsalibus *de presenti* in iure canonico prædicantur, omni applicatione carere debuissent, quia eiusmodi casus in foris nostris non occurrunt, quos ius canonicum supponit. Sed ad specialia transire e re erit.

§. II. Sic abusus insignis huius distinctionis occurrit in doctrina de *iuramenti delatione*, utrum & quatenus hæc in causa *sponsaliorum* dubiorum locum habeat? Communis fere sententia est, pro conseruandis sponsalibus ei locum esse, non ut puella iuret, sponsalia non esse contracta, quia ut ait *CARPZOV. lib. III. resp. 57. n. 4. mentis*, *delatio non valet ad dissoluendum matrimonium. Cont. ITEM p. 1. C. 12. def. 30. MEV P. V. decis. 210. n. 5. GAIL lib. II. obs. 94. n. 13. seqq.* De iure Canonico distinguunt communiter, inter sponsalia *de presenti* & *de futuro*. Hoc casu indistincte iuramentum admittendum esse censent, quod mutuo dissensu aliam ab illis recedere possint, *c. 2. X. de sponsal.*, non item illo, quia talia sponsalia inducunt

matrimonium, quod privato arbitrio partium exponendum haud est, si iuramentum posset vergere ad dissolvenda sponsalia: pro conservandis vero sponsalibus delationi iuramenti locus est. *c. 34. X. de iurci.* Hoc tamen communiter restringunt ad iuramentum *delatum*: nam *legale* seu *necessarium* a iudice indistincte deferri posse constat ex *c. 10. X. de despons. inpub. c. 7. X. de frigid. & males. c. 4. de probat* ibique *GONZAL. n. 4.* Hanc eandem distinctionem nostrates sequuntur, adstruentes, contra sponsalia *de presenti* non esse locum delationi iuramenti: In sponsalibus *de futuro* vix casus concipi potest, ubi in foris protestantum iuramentum deferri queat. Nam aut intelliguntur *tractatus sponsalium*, & in his quidem iuramentum foret inutile: aut sponsalia *conditionata*, quo casu conditione pendente lis non facile emergit, emergente tamen lite, ex hypothese communi admittendum esset iuramentum. Aut denique *sponsalia impuberum* intelliguntur, & in his vel ideo ad iuramenti delationem haud devenitur, quia imperfecta sunt, & ab illis impune resilire permittum est. Quæstio ergo tantum superest de sponsalibus *de presenti*, de quibus etiam vnice Dd., negantes delationem iuramenti, intelligendi sunt. Sic enim *CARPZOV. cit. resp. 57. n. 6.* *Nec enim sponsalia de presenti solo ac nudo contrahentium consensu contrahuntur, ut propierea nudo vicissim dissensu dissolvantur, sed a Deo colligantur, & ab ipsius auctoritate & voluntate dependent.* Primaria vtique ratio decidendi est, quia sponsalia *de presenti* ipsum matrimonium constituunt, & ita sicuti contra matrimonium, ita nec contra sponsalia *de presenti* iuramentum deferri potest. Ast falsam esse hanc rationem, & ex inepta applicatione iuris canonici natam, statim apparet. Nostra sponsalia *de presenti* non sunt matrimonium, sed illa ipsa, quæ de iure Canonico dicuntur *de futuro* h. e. vera & proprie dicta sponsalia, a matrimonio adhuc toto cælo distincta. Sicuti ergo contra hæc valet delatio iuramenti de

de iure canonico, etiam contra sponsalia, quæ in nostris foris vocantur *de presenti*, delatio iuramenti haud reiicienda erit, quod plenius probavit excell. Dn. I. S. STRYKE *diss. de delat. iur. in matrim.* eamque sententiam præ iudicis roboravit.

§. III. Similiter *transactionem* non esse contra matrimonium admittendam colligunt & asserunt, ex c. vlt. X. ^{(11) Circa transactionem.} *de transact.* quamvis pro matrimonio compositio licita & permittitur sit c. 2. X. *de clandest. desponsat.* CANISIUS & GONZALEZ *ad cit. c. vlt. GAIL. 2. obs. 94. n. 17. ibiq;* BERNARDUS GRÆVÆVS. PETRVS HEIGIVS *lib. II. qu. 6. n. 1. sqq. MEIVS p. V. decis. 210. n. 4.* Idem quæque de Sponsalibus *de presenti* intelligendum esse, constat ex doctrina HEIGII *cit. l. n. 14.* & CARPZOVII *lib. III. iurispr. conf. def. 44. n. 1. & 12. & lib. II. def. 233. n. 4.* Uterque tamen hoc restringit ad eum casum, si manifestum sit, sponsalia *de presenti* esse contracta, & alter desponsatorum forsan refractarius sit, ut fidem datam conservare nolit: *si de promissione matrimonii adhuc sub iudice lis est, nec ea ab actrice fuerit probata, aut difficulter probari possit, secus se rem habere ait CARPZOVII. def. 233. n. 7.* Hæc si vera sunt, etiam delatio iuramenti, quæ instar *transactionis* est, contra sponsalia locum habere debet, quia iuramentum semper defertur, ubi de sponsalibus contractis non constat, ut inde satis appareat, doctrinam CARPZOVII & HEIGII plane non cohærere. Ut vero redeamus in viam, iterum ex hæcenus dictis apparet, doctrinam iuris canonici peruerse ad nostra sponsalia applicatam esse. Quod ius canonicum *transactiones* non admittat contra sponsalia *de presenti*, conclamatum est, sed eiusmodi sponsalia non habemus. Admittit ius canonicum *transactiones* in sponsalibus *de futuro*, quæ apud nos dicuntur *de presenti*, quid ergo prohiberet, quo minus in iis admitteremus *transactionem*? Falsum enim est, nostra sponsalia *de presenti* esse *marrimonium*, quod asserunt

38 CAP. II. DE PRAXI INCONG. DOCT. SPONS.

peruerse ex iure canonico sponsalibus nostris adscriptum est. B. Dn. STRYK. de *diff. Sponsal. sect. III. §. 33.*

(17) circa
compromissum.

§. IV. Ex eodem fundamento quoque fluxit decisio, quod in matrimoniali causa arbiter assumi nequeat per c. 9. *inf. de integr. restit. HEIGIVS cit. l. n. 3. CARPZOV. cit. def. 233. n. 4. MEV. cit. decis. 210. n. 5.* & ita quoque nec in sponsalibus de presenti, modo de horum existentia coniter: nam si dubitatur, ytrum sponsalia illa inita sint, si tantum super quaestione facti lis hareat, compromissam aduincunt. HEIG. cit. l. n. 22. *sq.* Non alia huius asserti ratio dari potest, quam quod sponsalia de presenti sint matrimonium, quæ si non negantur, sed forsitan de *validitate* illorum disputatur, compromissam cessare arbitrantur, quia causa matrimonialis est ecclesiastica. Si res ex vero æstimanda foret, in causis sponsaliorum indistincte arbiter recipi posset, cum hæc causa non possit dici *ecclesiastica*. Quod matrimonium & sponsalia de presenti causis ecclesiasticis annumerentur, vnice ex conceptu *matrimonii* fluit: ast ex ipsa Pontificiorum confessione sacramentum non est in sponsalibus de futuro (quæ nobis sunt *de presenti*) sed tantum in matrimonio c. 5. *X. de digam. non ordin. c. 17. c. 27. q. 2. c. 36. c. 27. qu. 2.* adeoque sponsalia de futuro ad causas ecclesiasticas non absolute referri deberent.

(18) circa
indissolubilitatem sponsaliorum.

§. V. Imprimis vero peruerfa applicatio huius doctrinæ sese exerit, quando de sponsaliorum *validitate* & vinculo lis incidit, vbi communiter & iuris canonici interpretes & practici in foris protestantium distinguunt inter sponsalia de presenti & de futuro, De iure canonico manifesti iuris est, (I.) sponsalia de futuro, etiam iurata, muruo dissensu, dissolui posse, (II.) nec refractarium *præcise & absolute* compelli debere ad matrimonium inueundum. Prius liquidum est ex c. 2. *X. de spons.* vbi pontifex ita: Præterea hi, qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt *restitam fidem* obseruent: si autem se ad *invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat,*

Quasi iure canonico muruo dissensu dissolui possunt si de futuro sunt.

94

ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur quod ad in-
star eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, &
postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.
 Loqui texum de sponsalibus de futuro interpretes vno o-
 re concedunt, & præterea res ipsa loquitur, quia casus sup-
 ponitur, vbi de matrimonio contrahendo sibi fidem dederunt;
 vera ergo & proprie dicta sponsalia contracta erant, eaque,
 quod magis est, iuramento confirmata. Posterior proba-
 tur per *C. requisitis. 17. X. de sponsal.* vbi pontifex ita: *re-*
quisiuit a nobis tua fraternitas qua censura mulier compelli
debeat, que iurandi religione neglecta nubere renuit,
cui se NVPTVRAM, interposito iuramento, firmavit, ad que
tibi breuiter duximus respondendum, quod cum libera debe-
ant esse matrimonia, monenda est potius, cum coactiones diffi-
ciles soleant exitus frequenter habere. Itidem hic sermo
 est de sponsalibus de futuro, ut textus docet. In vtraque
 dispositione nihil est, quod desiderari queat, sicut enim
 partes sibi inuicem iuramentum præstiterunt, ita huius
 quoque sibi inuicem possunt facere gratiam. In altero textu
 quidem vnus dissensus adest, sed quia grauiora mala ex
 violenta & absoluta compulsionem metuenda sunt, merito
 canones ab hoc abhorrere. Huc etiam respexit *C. ex li-*
teris 10. de sponsal. Et quid verat, sponsalia mutuo consen-
 su tolli, que mutuo consensu inita sunt? *GONZALEZ ad*
cit. c. 2. n. 7. Quod si autem sponsalia de presenti per inter-
 positum consensum matrimonialem inita fuerunt, dissensus
 vnus vel vtriusque non attenditur; quia propter consen-
 sum coniugalem expressum sunt potius ex mente canonum
 ipsum matrimonium, quod satis clare euincitur ex *c.*
si inter 31. X. de sponsal & c. licet 3. X. de sponsa duorum. Iam
 autem matrimonium mutuo dissensu dissolui nequit. Ne-
 que obstat quod solennis deductio in domum non accef-
 ferit, quia ut *Cap. amec.* ostensum est, patres existimarunt,
 consensum priuatum & minus solemne in præsens coniu-
 gium sufficere, ad constituendum vinculum indissolubile.

Peruerſe hac
doctrina ap-
plicatur in
ſeris prote-
ſtantium.

§. VI. In terris proteſtantium hic diſtinctionem obſeruari eandem videmus, ſed cum diuerſas definitiones foueant, non poſſunt non deciſiones, a mente canonum plane alienæ, inde ſprouenire, quas tamen corroborare volunt ex principiis iuris canonici. Fatentur ſponſalia *de futuro* diſſolui poſſe. *CARPZ in iurispr. eccl. lib. 2. def. 18. n. 1.* ſed non *de præſenti*, quin diſſentientes carcere aliaque mulcta compelli ad hoc debere *IDEM def. 13. ſqq.* Sed hic quidem ſtatim ſe prodiſtincta mira rerum confuſio: verba iuris canonici retinent, mente reiecta; prædicata ſponſaliorum *de futuro* applicant ad *tractatus ſponſalios*; & que *de ſponſalibus de præſenti* in iure canonico prædicantur; applicant ad ſponſalia *de futuro*, qualia reuera hodie in terris proteſtantium pleraque ſunt ſponſalia, & hic rationem iuris canonici, quod ſcilicet talia ſponſalia ſint ipſum *matrimonium*, ſatis imperite adhibent. Imo eouſque progreditur *IEREMIAS LAVRENTIVS MOGIVS tr. de ſponſalibus cap. 2. th. 4.* vt ne quidem diſſolutionem admittat ob inimicitias capitales coortas inter deſponſatos, addens non aliis de cauſis ſponſalia poſſe diſſolui, quam ob que ipſum *matrimonium*, quale in ſponſalibus latere exiſtimat. In hoc itaque latitat inſignis confuſionis fundamentum & indicium, vbi certe dolendum, quod ipſis pontificiis duriores ſumus; Agnoſcit *MOGIVS c. l. n. 5.* vtrumque textum in *c. 2. & 17.* loqui de ſponſalibus *de futuro*, adeoque hos textus ſibi non obeſſe iudicauit; ſed non animaduertit, ſponſalia illa *de futuro* canonica conuenire cum ſponſalibus *de præſenti* in terris proteſtantium. Rectius certe philoſophatur *MEYIVS p. 3. d. 382.* & *Dn. STRYK de Diſſent. ſponſ. ſect. 2. §. 5. ſeqq. & ſect. 3. §. 8. ſeqq.* vbi ad obiectiones late reſpondet eorum, qui mutuo diſſenſu diſſolui poſſe ſponſalia hæc negant.

Præterea
quoque ſi
peruerſa ap-
plicatio. (V)

§. VII. Ex quo apparet, falſum eſſe quod noſtrates aſſerunt, ſponſalia *de præſenti*, prout a noſtratibus definiuntur, eſſe *matrimonium*, quamuis hæc ſententia noſtris
Theo-

Theologis quoque approbata sit. Nam licet ex iure canonico hoc quodammodo possit deduci, eo tamen sensu, quem nos fratres supponunt, id nunquam potest probari. *BRUCKNERUS decis. matrim. c. 1. n. 29.* Canonistæ afferunt sponsalia de presenti esse ipsum matrimonium, & recte, quia desponsati non substiterunt in nuda desponsatione seu consensu sponsalizio, sed simul consensum coniugalem statim declararunt, qui facit matrimonium, non concubitus. Ast nostri illam desponsationem, qua tantum animus sponsalitiis declaratur, pro matrimonio habent, id quod non tantum refragatur intentioni iuris canonici, quia alias haud admitterent hoc in casu dissolutionem; sed etiam ipsi naturæ rei & intentioni contrahentium, qui nolunt matrimonium statim inire, sed nuda sponsalia, adeoque, sicuti nec diffiteri possunt, manent adhuc diversissimi utriusque effectus, veluti quod sponsalia non tribuant ius in corpus, non inducant affinitatem, facilius dissolvi queant, non operentur annum luctus, nec poenam in polygamos statutam, &c. de quibus differentiis vid. *BRUCKNERUS decis. matrim. c. 1. n. 40* Hisce positis plura in *CARPZOVIO* emendanda sunt, quæ tamen facile ex hactenus dictis possunt deduci.

§. VIII. Solent vero protestantes ICI in eo quoque sequi ius canonicum, quod existiment, sponsalia pura per concubinatum transire in matrimonium seu sponsalia de presenti per. c. 30. X. de sponsal. quod matrimonium dicitur presuntum, hoc est, consensus coniugalis ipso facto, & sic tacite seu presuntive declaratur; ex copula enim carnali inducitur consensus coniugalis, adeo ut non admittatur protestatio aut probatio in contrarium *MENOCH. lib. 3. præf. 1. n. 6. seqq.* Dn. *STRYK de diff. spons. sect. 4. §. 12.* Requiritur autem copula carnalis realis; nisi scitus non sufficit. c. vlt. X. b. Idem quoque dicendum est, si sponsalia sint conditionata & postmodum pendente conditione desponsati concumbant vid. *rot. iir. X. de condit. apposit. &*

42 CAP. II. DE PRAXI IN CONG. DOCT. SPONS.

huc quoque pertinet sententia *CARPZOVII lib. 2. def. 137.* ubi ita: *at sic concubitus accesserit, vix res ita se habet, ut non matrimonium ipso quasi actu sit consummatum, ita ut non magis sponso quam marito uxorem deserere liceat.* Quin etiam ex hoc principio concludi solet, natum ex sponso esse partum *legitimum*, nec ita concumbentes pœna stupri posse affici, sed alia, quod contra ordinationes ecclesiasticas peccauerint. Hoc ipsum tamen postea emendarunt pontificii in concilio Tridentino, prout antea obseruavi, & satis conuenienter, quia in republica optime constituta non quæuis declaratio consensus matrimonialis matrimonium constituere debet, sed *ordinata* & præscripta forma facta. Cum vero nostratibus multæ grauissimæ causæ fuerint placita huius concilii repudiandi, inde factum est, vt ius antiquum canonicum in foris protestantium retentum sit, vt fere dicere possit, vsum huius distinctionis adhuc superesse in foris nostris, vix vero inter ipsos pontificios.

*Quod tamen
rursus per
numeros appli-
catur.*

§. IX. Sed itidem hoc iuris canonici assertum, quod *sponsalia per concubitus transeant in matrimonium*, in abusum insignem & a canonistis & Ictis protestantibus trahitur. De iure canonico consensus parentum quidem requiritur, sed vt matrimonium contractum hic defectus non tollat. In concil. Trident. *sess. XXIV. de reform. matrim. c. 1.* anathema dicitur illis, *qui affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere.* Hoc posito talia sponsalia clandestina transire dicuntur in matrimonium per concubitum, & consequenter parentum consensus neglectus non amplius attenditur. Eandem fouet sententiam *CARPZOVIVS lib. 2. def. 60* quia *n. 10.* statuit, clandestina sponsalia absque consensu parentum & sic nulliter contracta, validari per subsequentem concubitum, quo tamen nihil falsius, meo iudicio, dici potest. Præsupponit assertum illud vulgatum, *sponsalia vera & valida; ast ubi hæc deficiunt, non possunt transire in matrimonium, alias eodem modo*

modo dici posset, per quodlibet stuprum statim fieri matrimonium, quod hæctenus asserere nemo ausus fuit. Notum, *CARPZOVIVM* deceptum fuisse canonistarum sententia, quam tamen suo tempore grauiter perfrinxit *LUTHERVS*, adeo vt propositum suum publice declararet, se velle eo nomine *ICtis Vitebergensibus* bellum indicare, quod sponsalia clandestina ex iure canonico defenderent, quæ *peffimum inuentum papatus a diabolo suggestum* vocat vid. *SÆCKENDORFF* in *hiflor. Lutheran. lib. III. §. 26.* Ast pertinacia *ICtorum* fecit, ne hæc doctrina potuerit emendari, quæ tamen omnino falsa est. *BROUWER* de *iure conub. l. 1. c. 13. §. 4. 5.* *DONELL, lib. 13. c. 20. lit. u. i.* bique *HILLIGER.*

§. X. Inprimis vero mira confusio oritur in doctrina de concursu sponsaliorum, quæ rursus ex incongrua applicatione decisionum iuris canonici nascitur. Prima regula hæc esse solet: *In concursu sponsaliorum de presenti & de futuro indistincte illa præferuntur, siue hæc sint priora siue posteriora:* h. e. illa sponsalia, de iuris canonici doctrina præferuntur, quæ ita tantum dicuntur, non autem amplius sunt, sed potius matrimonium dicenda, ob concurrentem præsentem consensum coniugalem, qui matrimonium conciliat, non benedictio sacerdotalis, non concubitus. *c. 3. X. de spons. duor.* Matrimonium enim, aiunt pontificii, fortius ligat, quam sponsalia simplicia, etiam anteriora, quia in his tantum, est *fides pactiois* (scilicet de futuro matrimonio,) in illis vero *fides consensus* (scilicet in præsens coniugium) adest, vt distinguit *AVGVSTINVS* in *c. 1. X. eod.* Equidem in terris protestantium hanc regulam suo modo quoque applicari posse autumo, quatenus sponsalia de futuro tractatus *sponsalitiis* denotant, qui nullum inducant vinculum. Ast vterius progrediuntur, & doctrinam iuris canonici applicant ad concursum *sponsaliorum purorum & conditionerum*, quia hæc de futuro, illa de presenti ex mente *B. LUTHERI* appellant.

44 CAP. II. DE PRAXI INCONG. DOCT. SPONS.

Concludit inde *CARPZOV lib. II. iurispr. consist. def. 70. sponsalia de presenti contracta, licet sint posteriora, præferri sponsalibus conditionatis anterioribus.* Hanc decisionem quoque iuri canonico esse conformem, constat, sed diuerso plane in sensu, & ita ex diuersa plane decidendi ratione. *Pura* enim, hoc iure, æque sunt *de futuro* ac *conditionata*, adeoque minime asserere possum, hic esse concursum sponsaliorum *de presenti* & *de futuro*, sed tantum *de futuro*, Aequè etiam vim obligandi habent *conditionata* ac quidem *pura*. Quodsi ergo secundum iuris canonici regulas & fundamenta hic esset iudicandum, priora *conditionata* essent præferenda posterioribus *puris*, quatenus in his fides *de matrimonio contrahendo* data est, cum in sponsalibus eiusdem speciei priora præferantur. Equidem vrget *CARPZOV. cit. l. n. 13. Quod pura* posteriora, pendente conditione contracta, semper anteriora dici possint, quia conditio nondum adimpleta nihil ponit in esse. Ast vero hoc cum grano salis accipiendum est. Falsum est, quod in sponsalibus *conditionatis* nulla oriatur obligatio, cuius contrarium ipsemet *lib. II. f. consist. def. 21.* prolixè ostendit, docetque, integrum haud esse, pendente conditione a sponsalibus recedere. Accedit, quod conditio existens retrotrahatur ad tempus factæ promissionis, quæ retrotractio non fit in præiudicium sponsaliorum purorum, quæ potius nulliter & in præiudicium conditionatorum contracta sunt. Conf. *PAUL. CYPREUS de sponsal. c. VIII. n. 3.* B. Dn. *STRYK de Dissens. sponsal. sect. IV. c. 4. §. 2. seqq.* *BRUCKNERUS decis. matrim. c. 4. n. 16. seqq.* Vnde facile æstimandum est, utrum *CARPZOVII* sententia iuri canonico conformis sit? Id quod ipsemet quidem *n. 5. & 7. cit. def. 70.* existimat, sed reuera ex mutatis definitionibus deceptus est. Quando enim cum canonistis nobis res est, ita potius status controversiæ formandus: utrum sponsalia *pura de futuro*; licet posteriora sint, præferantur *conditionatis* prio-

prioribus? quod sine dubio negabunt, quia *pura*, qua talia, illis non sunt *de præfenti*, sed *menent de futuro*.

§. XI. Altera regula hæc est, imo adhuc præferuntur ^{(VIII) Quod} sponsalia ^{pura condi-} *de præfenti*, licet conditionata priora sint, & post ^{tionatis prio-} *contracta de præfenti* demum ad priora ^{ribus præfe-} *concupitiis aut benedictio-* ^{rant, licet his} *sacerdotalis accesserit.* Hanc regulam probant ex *c. veni-* ^{postea accesserit concubitus} *ens. 15. X. de sponsal. c. si inter 31. X. eod. c. f. X. de spons. duor.* ^{aut copula sa-} *Ratio huius regulæ de iure canonico (si per conditiona-* ^{cerdotalis.} *ta de futuro intelligas) in aprico est, quia licet alias sponsalia de futuro vel conditionata per concubitum in matrimonium transeant, id tamen non aliter, quam nullo antea matrimonio præexistente, intelligendum est. Quia vero ante concubitum cum sponsa de futuro iam contracta erant sponsalia de præfenti, quæ matrimonium ipsam hoc iure sunt, non potuit subsequens concubitus matrimonium, sed potius adulterium constituere. In genere enim tradunt, sponsalia *de præfenti* non tolli per aliud subsequens matrimonium, CANISIUS ad *c. 31. X. de sponsal. GONZAL. ad c. cit. lit. d.* quia posterius matrimonium *de facto* contractum reputatur *c. 31. X. de sponsal.* Nostrates eandem decisionem applicare nituntur, ad sponsalia *conditionata* cum *puris* concurrentia, B. HOPPIVS in *comment. ad I. tit. de nupt. p. 87.* quæ applicatio tum a mente iuris canonici, tum a recta iuris ratione aliena est. Si de iure Canonice de statu controversiæ, prout in nostris foris necessario proponendus est, esset iudicandum sine dubio conditionata, ad quæ accessit concubitus, præferri deberent: canonistæ enim in concursu sponsaliorum *de futuro* illa semper præferunt, quæ sunt concubitu confirmata; iam vero in præfenti casu tantum concurrunt sponsalia *de futuro*, ex mente iuris canonici, secundum quam etiam *pura* de futuro esse possunt: ergo male ad eum casum iura illa applicantur, quæ de sponsalibus *de præfenti* in sensu iuris canonici concurrentibus disposita sunt. Talia non habemus & ita quoque sponsalia nostra*

46 CAP. II. DE PRAXI IN CONG. DOCT. SPONS.

matrimonium appellare non possumus. Infertur præterea insignis iniuria sponsæ, quæ sub conditione sponsalia contraxit, in cuius præiudicium ne quidem posteriora pura valere deberent.

(1X) *Quod sponsalia de presenti præferantur, licet conditionatis posterioribus accesserit concubitus, vel Hierologia*
 §. XII. Ex quo rursus fluit tertia regula: *sponsalia pura (seu de presenti) esse præferenda, licet vel maxime illis, que sunt conditionata (seu de futuro) & posteriora concubitus vel Hierologia accesserit.* Regula hæc in sensu iuris canonici intellecta satis plana & indubia est, si per *sponsalia de presenti* intelligimus ea, quæ verbis *de presenti* contracta sunt. c. 4. X. de spons. duor. Nam ita iam matrimonium statim antea contractum & posterior concubitus *adulterium* potius censendus est. In eadem sententia quoque nostrates sunt, quæ rationem habet, quia sponsa priorius quæsitum habet, & *perfectum*, quod ei per *posteriora* conditionata, etiam concubitu vel Hierologia firmata anferri non debet, utpote quæ matrimonium facere non potuit. At caueas, ne hanc sententiam ex iure canonico ita decidendam esse arbitreris, secundum quod in alia omnia eundem esset. Casus enim ita formandus: si præcesserunt sponsalia proprie dicta, qualia de iure canonico dicuntur *de futuro*, licet pura sint, & sequantur conditionata, quæ æque hoc iure de futuro dicenda sunt, hisque accedat concubitus, hæc præferenda sunt, utpote quæ in matrimonium abierunt. c. 5. §. 6. X. de *condit. appof.* Breuiter: de iure Canonico hoc casu præferuntur posteriora, in foris Protestantium priora.

(X) *Quod sponsalia conditionata priora tunc præferenda sunt, si iis concubitus accesserit, illa præferenda sunt.*
 §. XIII. Quarta regula secundum hæcenus dicta quoque diiudicanda est, quæ ita se habet: *Quoties ad sponsalia de futuro (seu conditionata) priora concubitus accedit, antequam sponsalia de presenti (seu pura) sequantur, quoties ius accesserit, illa præferenda sunt.* Huc redit sententia c. 30. X. de spons. ubi pontifex ita: *Is quia fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo (& ita sponsalia de futuro celebravit) carnalis copula subsequuta (qua sponsalia de presenti seu*

DE PRÆS. ET DE FUTURO IN FORIS PROT. 47

ti seu matrimonium contracta sunt) *etsi in facie ecclesie ducat aliam, & cognoscat, ad primam redire tenetur.* Posterius enim matrimonium non potest verum censerī, quod *de facto* est contractum, *vt dicitur in f. cit. tex. & commixtio corporum, quæ prioribus sponfalibus accessit, verum de iure canonico matrimonium conciliauit.* Eandem regulam nostrates sequuntur, sed *vt verba, non mentem eius retineant.* Neque enim casus, qui in *c. 30. X. de sponfal.* occurrit, dabilis est in foro protestantium, in quo sponfalia de præsentī, quæ ipsum constituunt *matrimonium*, ignorantur. Nostrates loco eorum substituunt sponfalia *pura*, quæ omnino in adducta regula postponenda sunt, non quia prioribus *conditionatis* accessit concubitus, & ita hæc videntur in *matrimonium* abiisse, sed quia illa *posteriora* sunt, & ita postponenda essent, si vel maxiore prioribus conditionatis nequidem concubitus accessisset. Quia vero sponfalia de futuro in foris protestantium etiam denotant tum *sponfalitios tractatus*, tum *pactum de futuris sponfalibus*, maior occurrit difficultas an hisce suppositis casibus regula adducta locum habeat. Quid enim, si quis tribus fororibus promitteret, se vnam ex illis ducere velle, illæque, se non recusaturas esse sponfalia, sponderent, interim contingeret, vt vnam ex iis cognosceret, & postmodum eum alia sponfalia publica & pura celebraret, quæstio enascitur, vtrum hæc matrimonio consummanda, an vero illa, quam imprægnauit, ducenda sit? Minime sane afferi potest, eum, qui cum una ex illis tribus fororibus concubuit, sponfalia *vera* iniisse, sed tantum in terminis nudorum *tractatum*, per se haud obligatoriorum, substituisse, ergo hic applicari non potest regula, quod sponfalia per concubitus in matrimonium transferint, vt *COUARRVVIAS ad lib. IV. decretal. p. I. c. 4. §. 1. n. 25.* huc inclinasse videatur, quem refutat *CANISIUS ad cit. c. 30. X. de sponfal. n. 5.* Reuera in casu adducto commissum est stuprum, quod

quod quidem stringere posset stupratorem, ut stupratam duceret aut dotaret, si alia sponsalia haud concurrerent; verum si sponsa iuri suo haud renunciare, sed sponso iniuriam hanc remittere vult, ei fraudi esse nequit, quod cum ea concubuerit, cum qua haftenus nulla sponsalia vera & proprie dicta inuit. Caterum inter ipsos pontificios regula adducta nequidem amplius attenditur, si matrimonium in facie ecclesiae postmodum contractum est, quia sponsalia de futuro, concubitu confirmata, non amplius pro matrimonio reputantur, postquam in Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. matrim. c. 1. cautum est, non aliter matrimonium firmum ratumque esse, quam si in praesentia porochi & testium est contractum.

(xi) Quod si sponsalia de presenti concurrunt priora praeferi debeant.

§. XIV. Quinta regula est: si sponsalia de presenti, eaque publica concurrunt, re integra, praeferenda priora. Intelligo hic sponsalia de presenti, in sensu, in foris protestantium recepto h. e. pura & proprie dicta quae de iure canonico sunt de futuro. Proinde de iure canonico huc referri debet c. 22. X. de sponsal. vbi inf. ita: Quodsi forte per verba de futuro sponsalia cum vtraque contraxit, iuramentum primum sicuti licite factum est ipsum seruare compellas, de secundo ei penitentiam iniuncturus. Idem nostrates censent prout CARPZOVIUS lib. II. iurispr. eccl. def. 63. pluribus docet & confirmat B. Dn. STRYK. tr. de Dissens. sponsal. sect. IV. c. 2. §. 1. nec sine ratione, quia posteriora sponsalia reuera nulla sunt, & priora demum valent. Quid vero, si ita refractarius foret sponsus, & nullo modo adduci posset, ut ad priorem rediret, sed posteriori praefacte adhereret? Si in sensu iuris canonici regula intelligitur, constat, illum absolute cogi posse, ut ad priorem reuerratur, quia eo iure sponsalia de presenti ipsum constituunt matrimonium, quod indissolubilem nexum inducit, vti saepius annotatum est, c. 15. & 31. X. de sponsal. Sed concursum eius modi sponsaliorum in foris protestantium concipere haud possumus, quae nobis plane incognita, ergo tantum sub-

subſiſtendum in concuſſu ſponſaliorum *verorum* ſeu *puro-
rum*. Equidem *CARPZOVIVS lib. II. iuriſpr. conſiſt. def. 17.*
ad noſtra ſponſalia *pura* applicat regulam iuris canonici, e-
xiſtimando, per ſponſalia de præſenti h. e. *pura* ipſum con-
trahi matrimonium. Quis vero non videt, incongrue hic
applicari iuris canonici placita, diuerſi generis ſponſalia
ſupponentia? Quin potius aſſerendum eſt ex mente iuris
canonici, ſponſalia de præſenti, proteſtantibus ita dicta, non
eſſe matrimonium, quia de iure canonico ſunt & dicuntur
de futuro c. 2. X. de ſponſal. Cum vero, prout ſupra iam di-
ctum eſt, in ſponſalibus proprie dictis non facile proceden-
dum ſit ad compulſionem, *MEVIVS P. III. deciſ. 382. B. Dn.*
STRYK de Diſſenſ. ſponſal. ſect. II. §. 5. etiam in caſu adducto
ab illa abſtinendum eſſe iudico, nec audiendos eos, qui, ex
doctrina iuris canonici de ſponſalibus de præſenti, peruerſe
hic applicata, in contrariam eunt ſententiam. Denique
& hoc addo, regulæ adductæ inhærendum eſſe, ſi vel maxi-
me poſteriora iuramento ſint confirmata, utpote quod illici-
te præſtitum, nec priori ſponſe ius quaſitum adimere poteſt
c. 22. X. de ſponſal. B. Dn. *STRYK cit. tr. ſect. IV. c. 2. §. 2. ſq.*

§. XV. Sexta regula maioribus difficultatibus obno-
xia eſt ob peruerſam iuris canonici applicationem. Eſt au-
tem hæc: *quoties ſponſalia publica de præſenti contraſta ſunt,*
(h. e. *pura*, & a Ictis proteſtantibus ita dicta:) *toties priora*
preferuntur, licet ad poſteriora acceſſeris concubitus. Secun-
dum ius canonicum regula concipienda eſt de ſponſalibus
de futuro concurrentibus, quæ, quatenus *pura* ſunt, nobis
ſunt ſponſalia de præſenti. Aſt ita de iure cano-
nico deciſio adducta falſa eſt, quippe quo *indifſincte*
preferuntur, quibus acceſſit concubitus, quippe quæ ex iu-
re veteri canonico ſtatim tranſierunt in matrimonium, ut ita
hoc caſu non tam concuſſus duorum ſponſaliorum pro-
prie dictorum, ſed ſponſaliorum & matrimonii adſit, & ita
hoc præferri debeat. c. 30. X. de ſponſal. Eſt vero exiſti-
mem, adductam regulam æquiſſimam & ratione iuris funda-
tam, miror tamen *CARPZOVIVM lib. II. iuriſpr. conſiſt.*
def.

(XI) *quod in
concuſſa
ſponſaliorum
de præſenti
priora adeo
preferri de-
beant, ſi vol-
maxime po-
ſteriora con-
cubitu confir-
mata ſint.*

def. 65. eam ex iure canonico defendere voluisse. Vera v-
 tique ratio hæc est, quod priori coniugi ius iam quæsitum
 fit, quod ei auferri nequit per illicitam cõhabitationem
 cum sponsa posteriori; cum alioquin sponsus dolo suo
 priori sponsæ ius quæsitum subtraheret, quod iura haud
 permittunt. Nec vinculum posterius, scelere firmatum,
 effectum iuris habere potest vid. Dn. STRYK. *cit. rr. sect. IV.*
c. 4. §. 3. 4. Nec distinguo, vtrum sponsa posterior in bona
 fide fuerit nec ne? h. e. sponsaliorum priorum ignara, an
 conscia fuerit? Nam & vbi ignara est priorum sponsalio-
 rum, non vera, sed putatiua tantum sponsalia contrahit,
 quæ veris præferri nequeunt. Neque putatiuis applicari
 potest regula vulgata: quod per concubitum transeat in
 matrimonium, cum licet a parte sponsæ b. f. contracta
 sint, in se tamen nullasunt, si prior iure suo vti vult. CARP-
 ZOVIVS *cit. l. ad hunc casum peruerse applicat decisio-*
nem iuris canonici in c. 31. X. de sponsal. vbi Pontifex ita: Si
inter virum & mulierem legitimus consensus interueniat de
presenti, ita quod vnus alterum mutuo consensu verbis consue-
tis expresso recipiat, vtraque dicente: ego te in meam accipio,
& ego te accipio in meum, vel alia verba consensum expri-
mentia de presenti, siue sit iuramentum interpositum siue non,
non licet alteri ad alia vota transire: quod si fecerit, secun-
dum matrimonium de facto contractum, (etiamsi sit carnalis
copula subsecuta) separari debet, & primum in sua firmitate
manere. Huc etiam collimare putat *c. 30. X. de sponsal. &*
c. 3. & vlt. X. de spons. duor. Verum quis non videt, hos
 textus peruerse plane applicari ad regulam adductam, seu
 sponsalia nostra de presenti? Loquuntur de concursu ma-
 trimoniorum, non de veris sponsalibus, quæ illis de futuro di-
 cuntur. Et ita ad textus, qui de sponsalibus de futuro lo-
 quuntur, prouocandum esset, quibus tamen in erroneam &
 contrariam sententiam iri debuisset. Vera ergo est decisio
 adducta, sed si dicendum, quod res est, a plerisque assumpta
 ex incongrua iuris canonici applicatione.

Quamuis hoc
 casu ordinem

§. XVI. Cum itaque in adducto casu, si placitis iuris
 cano-

DE PRÆS. ET DE FUTURO IN FORIS PROT. 51

canonici insistimus, difficultates haud leues oriantur, inde non mirandum est, quod in ordinationibus ecclesiasticis non eadem decisio deprehendatur. In Statut. Hamburg. P. II. tit. II. art. 5. ita de hoc casu dispositum est: Würde einer zweyen Jungfrauen oder Wittven die Ehe versprechen / und ordentlicher Weise zusagen / auf dem Fall ist die erste Zusage bindig / und die letzte von keinen Würden: es wäre denn / daß er die andere hätte fleischlich erkannt / so wird dieselbe Verlöbniß in diesen Fall der erstern / woserne die Person von der ersten keine Wissenschaft gehabt / vorgezogen. Hæc decisio conformis est iuri canonico, secundum quod, concurrentibus sponalibus de futuro h. e. proprie dictis, qualia in adducto textu supponuntur, præferuntur indistincte illa, quibus accessit concubitus, ut tamen posterior sponsa in b. f. fuerit. Iure Magdeburgico in ordin. polit. cap. 37. §. 22. sq. priora sponsalia præferuntur, si sponsa prior in gratiam cum sponso redire vult, supposito tamen casu, welche wissentlich der ersten Verlobung sich mit ihm fleischlich vermischet. Quamvis vero alter casus, quando secunda sponsa in b. f. est, omittus sit, eum tamen supplendum esse existimo ex iis argumentis, quæ §. antec. adducta sunt. In ordinat. consst. Marchica c. 61. tantum dicitur quod utraque sponsa, & prior, & posterior, quæ b. f. sponso cohabitavit, non impediatur ad alia vota transire. Hoc de iure canonico antiquo vix asserendum esset, secundum quod sponsalia concubitu confirmata vinculum indissolubile constituunt; quam rationem tamen recte hoc casu reprobendam esse censuit iuris Marchici prudentia, quia sponsalia posteriora sunt ipso iure nulla. In ordinat. elect. eccles. tit. von Ehe-Sachen sententia §. antec. defensa probata est.

XVII. Sed quid si posterioribus sponalibus accesserit copula sacerdotalis? Gravissima hic pugna est inter BERLICHUM & CARPZOVIVM, illo pro prioribus sponalibus pugnante, hoc vero posteriora copula sacerdotali firmata præferente. Ille P. IV. concl. 28. n. 67. se fundat in iure canonico, adducitque c. 30. & 31. X. de sponsal. c. 1. 3. vlt. X. de spons.

tiones ecclesiastica variæ.

spons duor. addens: qui textus adeo clari sunt, ut sacrilegium in-
 far sit, contra eos disputare, & merito secundum eos in confi-
 storius debet pronunciari, cum non pugnent cum nostra religio-
 ni & pericul. sum sit, ex facta equitate & capite suo iudicare.
 CARPZOVIVS vero lib. II. iuris pr. consil. def. 66. per ra-
 tiones varias, ex æquitate deductas, suam sententiam defen-
 dit, & tandem n. 24. ita pergit: Non ergo est, ut nobis op-
 ponantur textus iuris canonici. Dicant enim Pontifices, quic-
 quid velint, non certe auctoritas ipsorum tantum valere debet,
 ut scandalo fenestra aperiatur, ne alias rationes annectamus.
 Sed præter spem & opinionem sententia CARPZOVII in
 iure canonico omnino probata est, BERLICHII vero repro-
 bata, cum textus ab eo adducti non adeo clari sint, ut sacrile-
 gium censeatur, contra eos disputare. Videamus de
 statu controversiæ. Quæstio hic est de sponsalibus de præ-
 senti h. e. puris & proprie dictis, quæ in sensu iuris canonici
 non alia sunt, quam de futuro c. 2. X. de sponsal. atque hæc ip-
 sa tantum in præsentia quæstione inter protestantes intelli-
 gi possunt, eum illa, quæ de iure canonico de præsentia dicitur,
 inter non entia in foris protestantium reicienda sint.
 Hoc posito, huc applicari debet c. 31. X. de sponsal. vers. vo-
 rum si inter ubi statuit Pontifex, sponsalia, quæ per promissio-
 nem de futuro matrimonio pure contracta sunt, quæ nobis di-
 cuntur de præsentia, non esse attendenda, ubi matrimonium
 cum posteriori per verba de præsentia contractum. Eadem
 est sententia c. 32. X. de sponsal. & Concil. Trident. sess. 24. de
 reform. matrim. c. 1. ad quos textus si prouocasset CARPZO-
 VIUS, eo fortius BERLICHIO contradicere protuisset. Sed
 hos ad præsentem casum inapplicabiles esse iudicavit, ea
 ratione deceptus, quod loquantur de sponsalibus prioribus
 de futuro, quamvis cogitare debuisset, ea ipsa, quatenus pu-
 ra sunt, nobis de præsentia dici. Quos vero textus BERLI-
 CHIVS pro stabilienda sua sententia adfert, plane incon-
 grue applicatos esse arbitror. Loquantur enim de spon-
 salibus de præsentia in sensu iuris canonici, quæ vel ideo fir-
 ma & rata iudicanda sunt, quia ipsum constituunt matrima-
 nium

nium. Ergo si matrimonium cum matrimonio concurrat, necessario prius preferendum est. Sed frustra inter protestantes talia sponsalia quærimus, quæ illis plane incognita sunt. Quamvis vero hæc ita sese habeant, sententiam tamen BERLICHII præferendam esse existimo, si modo sponsus non refractarius sit, ut plane ad priorem redire nolit, absolutam enim compulsionem fieri non posse, supra iam adstruxi. Quamvis enim BERLICHIVS optimam causam pessime defenderit ex iure canonico, vel ideo tamen decisio eius admittenda, quod aliis rationibus firmioribus nitatur, quas plenius dedacit B. DN. STRYKE in de dissens. sponsal. sect. IV. c. 4. §. 7. sqq. & confirmant SCHILTER instit. iur. Canon. lib. II. tit. 10. §. 11. BRUCKNERUS decis. matrim. c. IV. n. 53. sqq. Præterea iuris canonici decisio se fundat in principio, cum nostra religione pugnante, dum supponit, matrimonium cum posteriori sponsa contractum esse sacramentum, quod vinculum indissolubile conciliat, ut ei sponsalia priora cedere debeant.

§. XVIII. Quod si denique quis urgeat, nihil ob stare, quo minus etiam inter protestantes sponsalia illa, quæ de iure canonico de presenti dicuntur, dari possint, quoposito, ad minimum decisiones iuris canonici simpliciter applicari posse videntur. Quid enim si de sponsati pure sponsalia iniissent, & ut eo firmius sese obligarent, sponsus his verbis declararet consensum conjugalem. Ich nehme sie hiemit an zu meiner Ehefrauen / doch soll die Trauung noch etliche Wochen aufgeschoben werden, & illa quoque eodem modo se declararet, daß sie ihn nicht mehr vor ihren Bräutigam / sondern Ehemann halten wolle. Equidem non nego hoc casu adesse sponsalia de presenti ex mente iuris canonici, sed non sufficit, fingere casum, sed animadvertere, an moris penes protestantes sit, eo modo sponsalia inire? penes pontificios olim frequentissimo in usu fuisse eiusmodi desponsationes, evincunt tot decisiones, & præterea principium de sacramento, quod non per sponsalia de futuro, sed tantum de presenti contrahebatur. Pium autem & condignum

54 CAP. II. DE PRAXI INCONG. DOCT. SPONS.

cibile esse arbitrabantur, si mox desponsati huius sacramenti participes fierent, ut non cohabitarent, nec iure coniugum vterentur, sed tanquam *desponsati* separatim & seorsim viverent. Ast cum hæ rationes inter nostrates cessent, non adest ratio, quæ eos mouere possit, ut talia sponsalia inirent. Posito vero, reperiri quosdam, qui irregulari plane modo ita sponsalia inirent, his tamen applicari possit vulgatum illud, quod una hirundo non faciat ver, & deinde noua inde sponsaliorum *species* haud constitueretur, nec placita iuris canonici iis applicari possent. Quamvis enim *consensus* matrimonium facere dicitur, hoc tamen, prout c. 1. dixi, non aliter intelligi potest, quam si *legitima*, & *debita forma* declaratus est. l. 15. ff. de condit. & dem. Id vero minime sit, si *privatim clandestine* & *inipus sollemniter* hæc declaratio fiat. Jus canonicum vniue tantam vim sponsalibus huiusmodi *de presenti* tribuit, quod contineant in se sacramentum matrimonii, & inde *primario* suas decisiones petit, quod principum tamen nostrates reprobant: absurdum vero foret, reprobato principio, conclusiones inde deductas sequi. Denique quis non videt, iniquissimas fore decisiones, si ad casum adductum ius canonicum applicandum esset? Ponamus Caium cum *causa publica* & pura sponsalia de contrahendo matrimonio iniisse, quia vero eum sponsaliorum horum pænitet, publica alia cum Titia celebrat, cautela hac adhibita, ut ipsam sibi desponsat per verba antea adducta? Hæc præferenda forent de iure canonico, quod tamen summe iniquum foret, eum ita semper in arbitrio sponsi foret, priorem relinquere, & sponsalia alia inire, alia absurda ut non tangam, quæ ex principio *de sacramento matrimonii*, quod sponsalibus de præsentem inesse fingitur, fluunt. Nec obstat, quod supra §. VIII. dictum est, sponsalia per concubitus transire in matrimonium seu sponsalia de præsentem, etiam in terris protestantium. Nam hoc satis incongrue fieri dictum est, cum Icti, qui hoc brocardico vtuntur, haud cogitent, illud ex sacramento *supposito* matrimonii

DE PRÆS. ET DE FUTURO IN FORIS PROT. 99

monii fluxisse. Posset hæc sententiæ tamen retineri, ut etiam monet Ill. Dn. THOMASIVS *dissert. de pact. futur. sponsal. §. 17. lit. k.* sed ex alio fundamento, non quod ita matrimonium per concubitum concilietur, sed quod æquitati conveniat, ut is, qui sponsam fraudulenter induxit ad concubitum, eam iam absolute ducere cogatur, ad quam ducendam, re integra, alias absolute cogi non posset, ne dolus ipsi proffit, sponsæ vero noceat.

§. XIX. Solent præterea Canonistæ tradere, in dubio ^{(XIV) Quod} verba dubia magis accipienda pro sponsalibus de præsentibus ^{disputant, an} quam de futuro, nisi forsan inter impuberes essent contracta sponsalia, quo casu licet adhibita fuissent verba de ^{verba magis} præsentibus, iuris tamen interpretatione ea ita accipienda ^{pro sponsalibus de præsentibus de futuris} sunt, ut tantum constituant sponsalia de futuro *c. 7. 26. X. de futu. de sponsal. c. un. de desponsat. impub. in 6. ZOESIUS ad tit. ff. de sponsal. n. 3. CORVINUS in aphor. iur. Canon. lib. II. tit. 13. n. 34. CARPZOV. lib. II. iurisp. consist. def. 17. in f. Nam ait WESENBECK. cit. l. in actibus, qui pendet a mera voluntate & dispositione loquens, istiusmodi verba pro præsentibus accipiuntur. Verum quemadmodum hæc ratio est admodum obscura, & ad præsentem casum non adeo applicabilis, qui in mero facto consistit, & ita præsumtionem non adeo admittit, ita quoque de ipsa decisione adhuc plures dubitant, vid. MENOCH. lib. III. præf. 1. saltem ex textibus adductis argumentum pro illa idoneum deduci nequit. Posito vero, illam veram & in iure canonico fundatam esse, simul tamen patet, illam male applicari ad sponsalia Protestantium. Ait CARPZOVIUS cit. l. verba dubia magis sponsalia de præsentibus, quæ arguunt matrimonium, quam de futuro constituere. Si hæc sententiæ secundum mentem protestantium accipitur, plane contrarium, & illud denotat, magis sponsalia pura & proprie dicta (quæ de iure canonico de futuro dicuntur) quam conditionata aut tractatus sponsalicios in dubio intelligi. Ergo hæc propositio aliter accipitur in sensu iuris canonici, aliter a protestantibus, & tamen quod mirandum est, illa ipsa ab asserentibus*

§6 CAP. II. DE PRAXI INCONGRUA DOCT. &c.

bus firmatur auctoritate iuris canonici, quod tamen nec hoc nec illud dicit, Rectius ill, Dn. THOMASIVS *diff. de pact. futur. sponsal. §. 9. & 10.* hac de re iudicat, afferendo in casu dubio, quando disputatur, vtrum sponsalia vera an vero pactum preparatorium tantum inicum sit, neutrum praxium, sed videndum esse quid actum sit, adeoque alleganti sponsalia iniungendam probationem.

(XX) Quod quidam sponsa de presenti privilegia dotis tribuant,

§. XX. Si sponsa dotem ante contractum matrimonium sponso solvat, & paulo post concursus moveatur, nec matrimonium ob mortem sponsi summari possit, quærent vtrum sponse ius tacite hypothecæ cum prioritate indulgeri debeat. Distinguit HAHNIUS *ad Wof. iii. in quib. caus. pign. vel hyp. tit. n. I.* inter sponsam de presenti & de futuro, ita ut hec delicta sit illo privilegio, non illa, quippe quæ vxoris nomine quoque venit. Equidem ad sponsam de presenti in sensu iuris canonici id applicandum esse, persuasissimum habeo, quia in hoc casu non sit huius privilegii extensio, sed simplex applicatio ad casum, quem leges præsupposuerunt. Vxorilex dedit hoc privilegium: atqui sponsa de presenti de iure canonico est & dicitur vxor. Ast si sponsa de presenti accipitur in sensu a protestantibus recepto falsum omnino est. eam esse aut dici vxorem, adeoque reuera hic fieret extensio iuris singularis ad casum alienum, sub lege expresse non comprehensum, id quod iura non permittunt. Proinde rectius sponsa indistincte hoc privilegium negant LAUTERBACH *in colleg. ad tit. cit. §. 25.* CARPZOV, *p. 2. c. 2. §. 1.* ibique ESBACH *in not.* THOMINGIUS *decis. 36.*


(XXI) Quod post rem iudicatam in causis sponsaliorum de presenti renunciationem litem non admittant,

§. XXI. Denique solent ad hanc distinctionem confugere, quando quaestio formatur, an & quatenus liti super sponsalibus motu renunciari possit. Admittunt renunciationem eius, etiam si lis contestata. CARPZOV, *lib. III. Inrispr. consil. def. 37.* vel probatio suscepta IDEM *cit. l. def. 34.* vel publicatio attestatorum facta, vel sententia lata fuerit, priusquam tamen in rem iudicatam transierit. Id. *cit. l. def. 37.* Sententia enim, quatenus in rem iudicatam non transit nihil operatur, adeoque cum de existentia sponsaliorum nondum liquido constat, illis renunciatum dici nequit. Si vero sententia in rem iudicatam transit, litem renunciationem amplius integram haud esse, contendit cum CARPZOVIO SCHILTERUS *instit. iur. can. lib. II. tit. 10. §. 45.* id quod de sponsalibus de presenti omnino intelligunt, supponentes, ab eis recedi, nequidem voluntate vtriusque, posse, id quod de sponsalibus de presenti in sensu iuris canonici acceptis verum est: Falsum vero de sponsalibus de presenti, prout a protestantibus definiuntur, quæ de iure canonico sponsalia sunt de futuro, a quibus sponte recedere partes possunt, prout supra euic. *c. 2. X. de sponsal.* Imo viterius procedit SCHILTERUS *cit. l. §. 45.* existimans, renunciatione litem post probationem susceptam i. e. vbi actor iam articulos cum denominatione testium obtulit, facta officio iudicis incumbere, in veritatem & certitudinem inquirere, quæ sententia eadem erroris supposito fuit. Plures conclusiones non addo, cum secundum hætenus dicta facile diiudicari queant.

SOLI DEO GLORIA.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





97692

01 A 6583


ULB Halle 3
003 093 182




sb.

VDPA







ZO.
1791

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE INCONGRVA PRAXI
DOCTRINAE,
DE

SPONSALIBVS
DE FVTVRO ET DE
PRAESENTI

IN FORIS PROTESTANTIVM,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE MARCHIONE BRANDENB.

&c. &c

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVSTO HENNING. BÖHNERO,
D. PROFESS. IVR. ORDINARIO.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROVQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI

D. SEPT. M. DCCXII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PVBLCO EXAMINI SVBMITTIT,

IOHANNES GODOFREDVS GROTE,
HAMM. MARC. WESTPH.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.